

www.e-rara.ch

**Consilium chronologicum, qua ratione tempora ex fundamentis restitui
et emendari possint**

Adenstedt, Conrad Pavel von

Basileae, 1627

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28833>

Liber primus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



LIBER PRIMVS.

DE

DEFECTIBVS CHRONO- LOGIARVM GENERALIBVS.



TEMPORUM Dispositiones plerorūq; Chronologorum hujus seculi, (quod citra injuriam, salvo ipsorum honore & existimatione, scribo) *defectuosa* & erroneæ sunt. Certè gratiam ipsis habeo quàm maximam, quòd Disputationibus suis occasionem investigandæ veritatis mihi dederint.

Defectus autem illi sunt duplices. Alii sunt generales; alii speciales, à prioribus descendentes. De specialibus, in tractatu nostro Restitutionis Temporum, libro octavo; & in tractatu de Scopulis & Syrtibus Chronologicis, actum. Hic de Defectibus generalibus disquisitio instituta est.

Primò, *Chronologorum* Dispositiones temporum, primum eâ de causâ sunt *defectuose*: Quòd in iis nullum *primum punctum certum*, nec à *Posteriore*, nec à *Priore certo*, demonstrari vel ostendi possit. Per primum punctum certum, intelligo primi anni Mundi, primi mensis, primum diem.

Secundò, *Chronologi* annos suos Mundi, à *fictitio* & imaginario quodam Creationis *primo* anno deducunt: quem alii ab Epochâ Christianâ vulgari, vel civili, (quæ certum & indubitatum posterius punctum est) pluribus annis remotiorem; alii propinquiorem, sibi imaginantur. Ita,

quot Chronologias, tot annos Creationis diversos habemus: si tot essent Mundi, quot annos Creationis diversos Chronologi nobis suppeditant. Reges & Principes, de unius dominatu, non tantoperè inter se-se digladiarentur.

Hæc Chronologorum, circa annum Creationis, *discrepantia*, ex subjecto Diagrammate erit manifesta. Omnes Chronologi, quotquot, in hoc studiorum genere, industriam suam Ecclesiæ probare unquam conati, & temporum ordinationem professi fuerunt: ii omnes primum annum Epochæ Christianæ vulgaris, vel civilis, (à quâ anni nostri Christiani, quibus adhuc hodiè utimur, descendunt) ascribunt unanimiter anno 43. Imperii Augusti Imperatoris à Triumviratu; & Caji Cæsaris, dicti Imperatoris Augusti nepotis, cum L. Aemilio Paulo, Consulatu; & anno Juliano 45. id est, à correctione à Iulio Cæsare Dictatore institutâ. Ita hic annus primus Epochæ Christianæ vulgaris, vel civilis, punctum temporis certum est, & extra omnem controversiam positum.

DIAGRAMMA

VARIATIONVM CHRONOLOGORVM, CIRCA
Distantiam anni Creationis, vel primi anni Mundi, ab
Epochâ Christianâ vulgari, in anteriora vel
precedentia.

Chronologorum anni creationis.

Cycli eorum ipsorum annorum proprii.	In annis Periodi Julianæ.	In annis ante Epocham Christianam vulgarem civilem.
3. 16. ☉	744.	3970.
5. 18.	746.	3968.

ABRAHAM BUCHOLZERUS Silesius, secutus Picum Mirandulam Italum; & eum secutus Elias Reusnerus, Ienensis Professor: ii statuunt, Mundum esse conditum, ante Epocham Christianam vulgarem vel civilem, annis 3970. quo anno Mundus annis 53. prius jam conditus fuerat.

HENRICUS BÜNTINGIUS Hannoveranus, ascribit creationem Mundi, anno ante Epocham

Epochâ Christianam vulgare, 3968. quo anno
Mundus annis 54. citius jam conditus fuerat.

GERHARDUS MERCATOR, jungit annum
creationis Mundi, anno ante Epocham Chri-
stianam vulgarem civilem, 3967. quo anno jam 3967. 747. 6.19.
Mundus 55. annis prius conditus fuerat.

PHILIPPUS MELANCHTHON, Tabulâ
Prutenicâ, Iohannes FUNCCIUS Boruffus,
conferunt creationem Mundi, in annum ante
Epocham Christianam vulgarem vel civilem, 3962. 752. 11.24.
cùm Mundus jam prius conditus à Deo fuisset
annis 60.

IOSEPHUS SCALIGER, Sethus Calvisius
Lipsensis, Nicolaus Mulerius Frisius, David O-
riganus Francofurti ad Oderam, statuunt, Mun-
dum conditum esse ante Epocham Christiana-
nam vulgarem, annis 3949. cùm Mundus an- 3949. 765. 5.9.
nos 73. citius jam creatus fuisset.

Hæc de posteriore Scaligeri Epochâ Chri-
stianâ vulgari ita se habent: quam ad duos an-
nos in posteriora promovit. Ante dictam Epo-
cham, ascripserat anno suo Mundi 3947. quo
etiam Christum natum statuit: & secundum
hanc ascriptionem concludit, Mundum con-
ditum esse anno, ante Epocham Christianam,
3946. cùm 76. annis (qui unicum periodum
Calyppticam conficiunt) Mundus jam prius
conditus fuisset. De hac Scaligeri variatione
vide, quæ infra in calce hujus consilii, de Scali-
geriano Artificio detecto, pluribus declara-
vimus.

MATTHÆUS BEROALDUS Gallus, assi-
gnat creationem Mundi anno ante Epocham
Christianam vulgarem, 3929. cùm Mundus 93. 3929. 785. 6.1.
annis citius jam creatus esset.

4
DEFECTUS GENERALES

7.2. 786. 3928. HUGO BROUGHTONIUS Anglus, depugnat, Mundum creatum esse, ante Epocham Christianam vulgarem, anno 3928. cum Mundus annis 94. jam prius creatus fuisset.

8.3. 787. 3927. DAVID PAREUS, Theologus Palatinus, contendit, Mundum creatum esse, ante Epocham Christianam vulgarem vel civilem, anno 3927. cum Mundus annis 95. citius jam conditus fuisset.

Hæ Chronologorum, circa annum Creationis & Mundi primum designandum & determinandum, variæ & multiplices hallucinationes, manifestè arguunt; Annos eorum Mundi, ab incerto primo puncto, & primo anno Mundi vago & lubrico, deductos esse; ac proinde & ipsos incertos & vagos esse. Ab incerto autem principio, vel primo puncto, impossibile est certa tempora deducere; non magis, quàm à spinis uvæ, & à dumetis ficus, colligi possint.

Apparet ex præcedente Diagrammate; inter Pareum, qui propinquiorem Creationis annum ab Epochâ Christianâ habet, & Abrahamum Bucholzerum, qui remotiorem annum à dictâ Epochâ habet, differentiam esse 43. annorum. Intermediis, incertitudinem omnium suarum Chronologiarum, earumque Temporum dispositionum, augent. Cujus jam Creationis annus verus? & cui ex his Chronologis accedemus?

Haftenus de secundo Defectu: sequitur tertius.

Tertiò, *Chronologi* (quod pace eorum dico) aliquibus sacra Scripturæ textibus, præcipuè iis, qui temporis notationem habent, malè usi sunt, contra expositionem præcipuorum Ecclesiæ Doctorum; Martini Lutheri, Iohannis Calvini, Conradi Pellicani, Theodori Bezae, & aliorum: iisque textibus alium affingunt sensum, contra consensum Ecclesiarum orthodoxarum Germaniæ, Galliæ, Belgii, & Angliæ: & (quod summè detestandum) antinomias & contradictiones, in sacra Scripturâ, admittere & statuere non

non erubescunt; quæ tamen commodâ interpretatione evitari possent. De quibus latius in Tractatu Temporum Restitutionis, libro octavo, ubi cujusque Chronologi errores speciatim recensentur & demonstrantur; item in libro de Scopulis & Syrtibus Chronologicis, ubi de specialibus Chronologiarum defectibus actum est. Iam Lectorem rogatum volo: ut, antequàm istos tractatus nostros videat, iudicium suum interim suspendat.

Quartò, Contra consensum totius *Antiquitatùs*, & authoritates tot classicorum & præstantissimorum Historicorum, & universam communem Historiam non-sacram, *Periodos* aliquorum Regnorum vel strictiores, vel laxiores, quàm par est, & quàm reverà sint, nobis proferunt; pro-ut, ad stabilendam earum imaginariam Temporum dispositionem, id illis commodum visum fuerit. Quod in specialibus eorum defectibus plenius demonstrabitur.

Quintò, In suprà-dictorum Chronologorum scriptis, & Dispositionibus temporum, nulla datur Historiæ communis non-sacræ, ad historiâ *Sacram*, vera & certa *Alligatio*, in certo aliquo & determinato anno, in sacris literis fundata; & à probatissimis Scriptoribus, per cœli motus, firmata & confirmata. Tentata illa quidem à quibusdam sepè fuit; sed irritò conatu.

Sextò, Anni eorum Mundi, ad Normam Periodi Iulianæ non sunt accommodati, nec digesti: sed fortè-fortuito, sine ordine certo, collecti & invicem conglutinati.

Septimò, Quamvis eorum annorum Mundi, in Periodo Iulianâ, anni correspondentes assumantur: tamen, per eorum numeros, veri, naturales, & genuini motus cœlestes, qui iis annis fuerunt, quorum aliqui, à Scriptoribus fide-dignis monumentis consignati, in eorum libris reperiuntur, ad singula momenta exhiberi & dari non possunt: uti possent, si eorum anni, veri anni Mundi essent.

Octavò, Multò minùs eorū anni Mundi erronei, per annos suos in Periodo Iulianâ correspondentes, *Phænomena*,

Luminarium Syzygias & Eclipses, iis mensibus, diebus, horis, & horarum scrupulis, quibus ea phænomena fuerunt conspicua, & partim à fide-dignis Historicis & Astronomis, cum supra-scriptis suis temporum circumstantiis, in eorum scriptis annotatæ leguntur & habentur, exhibere vel dare possunt. Quod possent; si eorum anni, veri anni Mundi essent. Quod de ipsorum annis Mundi, tam ante, quam post Epocham Christianam, perpetuò verum est. Nam de annis Christianis aliter res sese habet. Cùm enim ad Epochæ Christianæ annos, Ephemerides quædam speciales existant: non opus habent, ad annos correspondentes Iulianæ Periodi confugere; sed ad annos dictæ Epochæ motus cœlestes habere possunt: ad annos verò suos Mundi, eos motus habere non possunt; nisi per annos suos Christianos. Quòd si eorum anni Mundi veri essent: etiam sine istis Ephemeridibus, tam ante, quam post Epocham Christianam, per suos in Periodo Iulianâ correspondentes annos, ex Tabulis quibuscunque ad eam Periodum Iulianam accommodatis, (quales sunt hoc tempore, Tabulæ Frisicæ Nicolai Mulerii, Medicinæ Doctoris, & Gymnasiarchæ Leoyvardiensis; ex quibus, per veros annos Mundi, indè à condito Mundo, ad 7980. annos, veri motus cœlestes extrahi & haberi possunt) patescerent. Quod cùm eorum anni Mundi præstare non possint: arguitur, Chronologorum annos Mundi, & eorum temporum Dispositiones, defectuosas & erroneas esse.

Nonò, Dictorum Chronologorū anni Mundi, per suorum in Periodo Iulianâ correspondentium annorum numeros, nunquam cuiusque anni proprios & genuinos *Cyclos, Lunæ, Solis, & Indictionis*, iis numeris, per radices cuiusque Cycli, 19. 28. & 15. divisi, in suis *Residuis* producunt; sed alienos, & longè diversos, & tales, qui datos annos tot annis præcesserunt; quot annis eorum temporis Dispositio, & eorum calculus, vel eorum anni Mundi, à veris annis Mundi, & vero calculo, in posteriora distant, & verus annus
primus

primus Mundi, eorum annum primum Mundi præcedit. Econtra, si veri anni Mundi ipsorum anni essent: illi, per suorum in Periodo Julianâ correspondentium annorum numeros, iis numeris, per radices cujusque Cycli, producerent veros & genuinos cujusque anni Cyclos, tam Lunæ, quàm Solis, in suis residuis. Si verò nihil in residuo superesset: id argumento esset, ipsam radicem esse ejus anni Cyclum, & eum annum ultimum cycli annum. Quod cum Chronologorum anni Mundi præstare non possint: manifestum est, eos veros annos Mundi non esse; sed hoc etiam defectu laborare.

Decimò, Chronologorum anni Mundi, per suos in Periodo Julianâ correspondentes annos, talem Cyclum Solis producere non possunt; qui, secundum doctrinam Erasmi Reinholdi, in Isagoge Tabularum Prutenicarum, Præcepto 6. fol. 24. traditam, *Ferias* hebdomadales, iis ipsis Mensium diebus, quibus eæ in sacris Literis, & aliis probatis Scriptoribus, assignatæ inveniuntur & leguntur, edant & exhibeant; sed planè alienas, & diversas. Quòd si veri ii anni Mundi essent: veras & genuinas quoque ferias exhiberent.

Vndecimò, In nominatorum Chronologorum Temporum Dispositionibus, nulla invenitur annorum *Sabbaticorum & Iubilæorum* naturalium, indè à condito Mundo, cum annis Sabbaticis & Iubilæis Mosaicis legalibus, connexio, vel *coincidentia*: quæ, in verâ Temporum Dispositione, ad oculum demonstrari & exhiberi potest. In quâ, à primo Septimo, & primo Quadragesimo-nono, incipiendo, Sabbata & Iubilæa naturalia ita continuantur: ut primum Sabbatum, & primum Iubilæum legale Mosaicum, in septimum & quadragesimum-nonum annum, indè à condito Mundo numeratum & continuatum, præcisè & ad amissim incidat. Quod in dictorum Chronologorum Temporum Dispositionibus, eorumque annis Mundi, demonstrari non potest: ideoque defectum arguit.

Duode-

Duodecimò, Omnes ferè Chronographi, annos Hebraicos antiquos, & novos vel posteriores; item Aegyptiacos, Græcos, Romanos, tam incorrectos, quàm correctos, quantitate & principiis suis multum inter se discrepantes, confundunt, iisque promiscuè utuntur. Ex quo consequitur, quòd momenta veris suis momentis non sint contigua, nec iis cohæreant. Ita tempora eorum, in Temporum Dispositionibus & Chronologiis, sunt luxata & dissoluta. Quocirca non mirum, si ad eorum annos Mundi, tam ante, quàm post Epocham Christianam, veri Motus cœlestes, nec duci, nec exhiberi possint. Cùm fatius fuisset, ad unicam anni *Iuliani*, à Iulio Cesare *correcti*, formam, (quæ quàm proximè ad anni cœlestis solaris quantitatem accedit, & anno Hebraico primitivo multum similis est) proprio suo principio cuique anno reservato, tempora inde à condito Mundo accommodasse: quos annos & vera Paulliana Temporum Dispositio habet.

Hi sunt *Duodecim Defectus Generales Chronologorum*: à quibus duodecim speciales dependent, ex iis orti; qui libro 8. nostræ Temporum Restitutionis, & in tractatu nostro Scrupulorum Chronologicorum, recensentur, & corriguntur: quò Lectorem nunc remittimus.



NOVA PAVLLIANA TEMPO-
RVM DISPOSITIO; IN QVA SUPERIORES
*Defectus omnes reparantur, & ex fundamen-
tis emendantur.*

PRIMÒ, in hac *Nova Pauliana Temporum Dispositione*, datur *primum punctum certum*, id est, primus annus Mundi, à *Posteriori certo* demonstratum & stabilitum: & à *Priori certo* deductum: à quo priori certo, primum illud punctum certum dependere, ostenditur & probatur.

Secundò, *Posteriorius* illud certum, est *Epocha Christiana* vulgaris vel civilis; id est, primus ejus *Epochæ* annus: Qui, omnium Chronologorum, aliorumq; *Scriptorum* suffragio, in anno Augusti Imperatoris 43. ab ejus *Triumviratu*; & in anno *Consulatus* Caji *Cæsaris*, dicti Imperatoris nepotis, cum *L. Aemilio Paulo*; & in anno *Urbis conditæ* 753. anno *Nabonassaris* 748. item *Græcorum* vel *Seleucidarum* 313. fixus est.

Tertiò, Ab hujus *Epochæ Christianæ* vulgaris anno primo *exclusivè*, in annis *Historiæ* communis non-sacræ (nam *Historia sacra* huc-usque non pertingit) & *Motibus cœlestibus*, retrò in anteriora *reolutis*, sursum in *præcedentia* ascenditur: donec *numeros sacros*, & per eos dictum *primum punctum certum*, consequamur. Quod assequimur & deprehendimus non priùs, quàm in anno, *primum annum* dictæ *Epochæ Christianæ* vulgaris, annis 4022. *completis*, *exclusivè* *præcedenti*; i.e. in anno ante dictam *Epocham* 4022. *cujus anni primus dies*, est id *primum punctum certum*, à *posteriori certo* inventum. Quod *infra hęc*, in *Synthesi Temporum*, aliquo modo; sed in nostro *Temporum Restitutionis Tractatu*, lib. 1. *pleniùs demonstratur*: quò *Lectorem remittimus*.

Quartò, *Prius certum*, est primus annus *Periodi Iulianæ*: qui is annus est, in quo omnes tres Cycli usuales, Lunæ, Solis, & Indictionis, simul ab unitate incipiunt, id est, in quem principia omnium trium Cyclorum concurrunt. Cyclis omnibus tribus, ab hoc præsentem & currente anno Christiano 1626. retro-actis, & in anteriora revolutis; hic primus annus *Periodi Iulianæ*, vel hæc cõcurrentia omnium trium Cyclorum in suis principiis, non antè deprehenditur; quàm in anno, hunc præsentem annum Christianum, annis 6338. completis, exclusivè præcedente. In eo anno, omnes tres Cycli ab unitate inceperunt: qui annus ex Hypothesi ita constitutus est, Nam ante Mundum conditum, nec Sol, nec Luna, nec tempus fuit. Hoc prius certum, vel hic primus annus *Periodi Iulianæ*, primum nostrum certum, id est, primum nostrum annum Mundi suprâ inventum, exclusivè præcessit annis completis Julianis 691. ex hypothesi, ut suprâ scriptum est. Ita hic primus annus verus Mundi, ab hoc *Priori certo*, id est, primo anno *Periodi Iulianæ*, dependet; & est ejus *Periodi* annus 692. Quod hic infrâ, in *Temporum Analyfi*, & *Declaratione Periodi Iulianæ*, ejusque admirabilis usus, aliquomodo; sed in nostro *Temporum Restitutionis tractatu*, lib.6. cap.24. plenius explicatur.

Quintò, Ab hoc primo Puncto certo, id est, anno ante Epocham Christianam vulgarem vel civilem, 4022. qui idem est 692. annus *Periodi Iulianæ*; veri, genuini, & naturales *Anni Mundi*, hujus *Novæ Temporum Dispositionis*, deducuntur.

Sextò, Secundùm hos annos Mundi *veros* & naturales, *Historia sacra* ita ordinata & digesta est: ut exinde, *Consensus* hujus *Temporum Dispositionis*, cum *Sacrâ Scripturâ*, non obscure elucescere & apparere possit.

Septimò, Omnes *Textus Sacri*, qui temporis notationem habent, secundùm veros & genuinos sensus & intellectus, ab omnibus Ecclesiis Orthodoxis receptos & approbatos,

tos, explicantur & declarantur: omnibus Antinomiiis & Contradictionibus, in Sacris, evitatis. Quod dicto nostro Tractatu, de Temporum Restitutione, lib. 3. plenius declaratur: ubi dicti textus clariùs exponuntur.

Octavò, Ad hos eosdem annos Mundi veros, in hac temporum Dispositione, *Historia communis* non-sacra, ita disposita & ordinata est: ut omnium Regnorum & Rerum-publicarum initia & incrementa, suis naturalibus & propriis annis attributa; vicissitudines & conversiones, suis annis assignatæ & ascriptæ sint: ut indè omnium Regnorum & Rerum-publicarum veræ *Periodi*, debitæ quantitativibus suis constantes, sine ullâ extensione ulteriore vel contractione, quàm par sit, haberi & perspici possit, Ex quo, *Consensus* hujus temporum Dispositionis, cum totâ Antiquitate, & omnibus classicis & probatis Scriptoribus, manifestè evincitur. Id quod libro 4. supra-dicti Tractatus Temporum Restitutionis, speciatim deducitur & probatur.

Nonò, In hac novâ Paullianâ Temporum Dispositione, Sabbata naturalia, id est, Septimus quisque annus, indè à condito Mundo numeratus, in primum *Sabbatum legale Mosaicum*, ex Mandato Dei à Moyse in Deserto ordinatum, (hîc annorum Sabbata intelliguntur) præcisè incidit. Ita ut hujus temporum Dispositionis anni Mundi, per 7. divisi, in residuis ostendant, quotus annus quisque sit à proximè præcedente Sabbato, sive naturali, sive legali: quod perinde est. Si namque nihil in residuo remanserit: id indicium est, eum annum Mundi incidere in numerum septimum, & esse Sabbaticum. Primum Sabbatum legale, nobis incidit in annum Mundi, hujus Temporû Dispositionis, 2555.

430
2555 (305.
777

Decimò, In hac eâdem Temporû Dispositione, *Jubilea naturalia*, id est, Quadragesimus-nonus quisque annus, à

condito Mundo numeratus, in primum *Jubileum* legale Mosaicum, ex Dei mandato à Moyse in Deserto ordinatū, præcisè & ad amissim incidit. Ita ut hujus Temporum Dispositionis anni Mundi, per 49. divisi, in residuis ostendant, quotus quisque annus Mundi ita divisus à proximè præcedenti Jubilæo, vel naturali, vel legali, (perinde enim est) absit. Si namque nihil in residuo remanserit: id indicium est, annum Mundi divisum, ipsum Jubilæum esse. Primum Jubilæum Mosaicum legale, in hac Paullianâ novâ Temporum Dispositione, incidit in annum Mundi 2597.

$$\begin{array}{r} 2 \\ +40 \\ 2597 \quad (53) \\ 499 \end{array}$$

4

Undecimò, Datur etiam, in hac novâ Temporū Dispositione, vera & indubitata *Alligatio Historiæ communis* non-sacræ ad *Sacram*: In anno 23, Ezechix, Judæorum; & 1. anno Merodaci, Babyloniorum Regis; & 27. anno Nabonassar Ptolemaici, ex 2 Regum cap. 20. v. 12. & 2 Chron. c. 32. v. 31. & Ptolemæo, lib. 4. *Almagesti*, cap. 6. Quæ alligatio, per Motus cœlestes, & tres Lunæ Eclipses, confirmatur & stabilitur. Quæ omnia plenius exponuntur, in nostro *Tractatu Temporum Restitutionis*, lib. 6. cap. 19.

Duodecimò, Si hujus Temporum Dispositionis anni Mundi, per additionem Radicis Periodicæ Julianæ, quæ est 691. in annos correspondentes ejus Periodi convertantur: ad eos annos correspondentes, qui ex dictâ additione resultant, ex Tabulis Motuum cœlestium, ad Periodum Julianam accommodatis, (quales hoc nostro tempore sunt Tabulæ Frisicæ, Lunæ, & Solares, Nicolai Mulerii, Leovvardiensis Gymnasiarchæ, anno Christiano 1615. Amsterlodami excusæ) ex his Tabulis, inquam, ad confectos annos correspondentes, indè à condito Mundo, cujusque anni, mensis, diei, horæ, & horæ scrupulorum, veri, naturales, & genuini motus cœlestes, qui vel oculis conspicui,

spicui, vel à probatissimis Scriptoribus in monumentis suis consignati reperiuntur, extrahi & haberi possunt: & prodibunt illis ipsis diebus, horis, & horarum scrupulis, quibus consignati apud Scriptores inveniuntur. Ut sunt Aequinoctia, Solstitia, Luminarium Syzygiæ & Eclipses: quæ in oculos incurrunt. Idque ad singulos annos Mundi, hujus Temporum Dispositionis, sive ante, sive post Epocham Christianam civilem.

Decimo-tertiò, Hujus Temporum Dispositionis anni Mundi, in annos suos in Periodo Julianâ correspondentes conversi, (quod fit per additionem Radicis Periodicæ Julianæ, 691. ut suprâ dictum) per numeros dictorum suorum correspondentium annorum, producant, cujusque anni Mundi, indè à condito Mundo, veros & proprios *Cyclus*, tam Lunæ, quàm Solis & Indictionis, hoc modo: Numerus correspondentis anni inventus dividatur per cujusque Cycli radicem. Ut, si dividantur per Cycli Lunæ radicem, quæ est 19. in residuo datur ejus anni *Cyclus* Lunæ. Quòd-si nullum erit residuum: id indicium est, datum Mundi annum, esse ejus Cycli ultimum; & radicem ipsam ejus anni *Cyclum* esse. Si eodem modo numeri iidem dividantur per *Cyclum* Solis, qui est 28, residuum dabit ejus anni *Cyclum* Solis. Si deniq; iidem numeri dividantur per *Cyclum* Indictionis, qui est 15. proveniet in residuo ejus anni *Cyclus* Indictionis. Idq; perpetuò, indè à condito Mundo, in omnibus annis hujus Temporum Dispositionis.

Sed hîc interfari quis possit: quid primis hominibus negotii cum Indictione Romanâ fuerit? Scio equidem, quòd primis temporibus non conveniat iste *Cyclus*. Nihil tamen tam naturale, quàm *Cyclum* aliquem, vel *Periodum* 15. annorû, cujusq; is sit nominis, in anteriora revolvete. Nihil id habet absurditatis. Hic annus Christianus currens 1626. secûdum hanc Paullianam Temporis Dispositionem, est annus Mundi verus 5648. id quod infrâ, in *Analyfi* temporum, demonstrabitur. Vel hoc modo potest.

Distantiæ anni primi Mundi, ab Epochâ Christianâ, in-
frâ in Synthesi Temporum demonstratæ, sunt 4022. Adde
annum Christianum præsentem & currentem: & produ-
ctum erit annus Mundi verus dati anni Christiani. Ut:

Distantiâ primi anni Mundi ab Epochâ Christianâ,	4022
Annus Christianus præsens & currens,	1626
	5648.

Is annus, additione Radicis Periodicæ 691, in annum
Periodi Julianæ correspondentem convertatur.

5648 Numeri hujus anni correspondentis, sc. 6339. per
691 radices omnium trium Cyclorum usualium di-
6339 vidantur.

Pro cyclo Luna, vel aureo numero, per 19.	Pro cyclo Solis per	Pro cyclo Indictionis per 15.
1	28.	15.
33	1	45
3652	35	2330
6339 (333	2771	6339 (422
2999	6339 (225	2555
44	2888	22
44	22	

In residuis, prodeunt Cycli Lunæ, vel numerus Aureus,
12. Solis, 11. Indictio 9. qui sunt veri & proprii Cycli hujus
currentis 1626. anni Christiani.

Decimo-quartò, Tempora hujus Dispositionis Tem-
porum, indè à condito Mundo, ad uniformem annum *Iu-
lianum*, ab Imperatore C. Julio Cæsare posterioribus tem-
poribus correctum, annum omnium annorum perfectissi-
mum, ad annum solarem cœlestem quàm-proximè acce-
dentem, ut & anno primitivo Hebraico similimum, dispo-
sita sunt. Ita ut indè à conditu Mundi, & omnium rerum
initio, momenta momentis, & scrupula scrupulis, cohæ-
reant, & sibi invicem contigua sint.

Hæc sunt XIV. Novæ hujus Temporum Dispositionis
Singularia: ex quibus nemo non intelligit, iis superiores
Defectus generales, ex fundamentis, corrigi & emendari.
Quod erat faciendum.

APPARATUS AD SYNTHESIN TEMPO-
rum subsequentem.

Quemadmodum in omnibus aliis scientiis, *Synthesis*, per naturæ leges, *Analyfin* ordine præcedit: sic id ipsum maximè in temporum tractatione verum est. Quâ ratione enim, à nullo, vel (quod idem est) ab incerto principio, certa tempora possunt derivari vel deduci? Quâ in re, hoc nostro seculo, maximè à Chronographis fuit peccatum: dum omnes Analyticâ Methodo tempora nobis exhibere conati sunt; Compositione vel Synthesi temporum posthabita & neglectâ. Nos igitur multò consultius & tutius esse judicavimus; si Methodo Synthetica, tempora à certo quodam, & extra omnem litem posito termino *Posteriori* primo, componantur; & ita à proximioribus & notioribus, per ascensum in anteriora, remotiora, & minùs nota, progrediamur: ut ita *Primum punctum certum*, quod idem primus Mundi annus est, primò firmemus & stabiliamus; antequàm (quod alii ante nos fecerunt) ab incerto aliquo primo puncto, per *Analyfin*, tempora in posteriora deorsum deducamus,





PRÆFATIO IN NOVAM
HANC SYNTHESIN
Temporum.

MONENDUS es, benevole Lector: Quòd, sub Anni verbo, hîc semper intelligimus Calendas Januarii, vel primum nominati anni diem: eundemq; in hac temporum Synthesi, in termino à quo, semper exclusivè; in termino autem ad quem, inclusivè. *Posterius* certum, nobis est primus dies Januarii, Anni primi Epochæ Christianæ vulgaris: quem annum suprâ, in fine Defectuum generalium, in anno 43. Augusti Imperatoris, & Consulatu Caji Cæsaris, Nepotis Augusti Imp. & L. Aemilii Pauli, firmavimus & stabilivimus,

Sequitur investigatio distantie 23. anni Ezechie R. Jude, ab Epochâ Christianâ vulgari vel civili.

Plutarchus, Curtius, & Diodorus Siculus, Eclipsin Lunæ commemorant, anno 2. Olympiadis 112. die 11. Epiphi Mensis Aegyptii, 10. ante pugnam inter Alexâdrum & Darium Arbelianam diebus. Motibus cœlestibus in anteriora revolutis, consequimur, hanc Eclipsin præcessisse Epocham Christianâ vulgarem, annis plenis 330. ac dieb. 103.

Thucydides, lib. 2. de Bello Peloponnesiaco, habet Eclipsin Solis, Olympiadis 87. anno 2. die 6. Mensis Mechii, primo ejus Peloponnesiaci belli anno.

Hanc Eclipsin edunt motus cœlestes, quòd præcesserit Alexandrinam superiorem, annis 100. ac diebus 48.

Ptolemæus Pelusinus, lib. 5. Almagesti, cap. 14. annotat Eclipsin Lunæ, anno Nabonassaris 225. die 17. Phamenot, Anno 7. Cambyfis, filii Cyri Monarchæ. Hanc Eclipsin exhibent motus cœlestes, quòd superiorem Peloponnesiacam præcesserit annis plenis 92. diebus 17.

Lunæ

Idem Ptolemæus, dicto lib. & cap. profert aliam Eclipsin Lunæ, Anno Nabonassaris 127. die 27. Mensis Athi, in anno quinto Nabopolassar, qui idem Nabuchdonosor Magnus. Hanc Eclipsin ostendunt motus cœlestes, quod præcesserit Cambysianam superiorem, annis plenis 98. diebus 85.

Idem Ptolemæus, lib. 4. cap. 6. Almagesti, aliam Eclipsin Lunæ notat, anno 27. Nabonassaris, die 29. Thot Mensis Aegyptii, in anno 1. Merodaci, Babyloniorum Regis, quem is Merdocempad nominat: qui annus idē est 23. Ezechia, Regis Iudæ, & dies idem 19. Martii. Motus cœlestes demonstrant, hanc Eclipsin Nabuchdonosorianam superiorem præcessisse, annis plenis 100. diebus 34.

A die 19. Martii, ad Calendas Ianuarii, ejus 23. anni Ezechia, Regis Iudæ, inclusivè, sunt adhuc dies 78.

Omnibus annis & diebus harum 5. Eclipsium, & superfluis 78. diebus, indè ab Epochâ Christianâ vulgari, ad primum diem anni 23. Ezechia, Regis Iudæ, in unam summam coadunatis, conficiuntur præcisè 721.

Quot anni, à primo Ianuarii, anni primi Epochæ Christianæ vulgaris exclusivè, ad primum Ianuarii, anni 23. Ezechia, Regis Iudæ, inclusivè, numerantur.

Eadem *Distantia* 721. annorum, à primo Ianuarii anni primi Epochæ Christianæ exclusivè, ad primum Ianuarii, anni 23. Ezechia, Regis Iudæ, inclusivè, etiam ex annis Augusti Imperatoris, Regum Aegyptiorum, Macedonum, Persarum, Chaldæorum, & Iudæorum, sibi invicem immediate succedentium, usque ad dictum primum Ianuarius, anni 23. Ezechia, Iudæorum Regis, demonstrari potest, hoc modo.

A primo Ianuario primi anni, Epochæ Christianæ vulgaris, vel anni 43. Augusti Imperatoris, exclusivè, usque ad annum pugnae navalis ad Actium, anni 29.

A dictâ pugna, in annis Regū Aegyptiorū, ex quo Lagida Aegypto potiti sunt, in anteriora, numerantur anni 395.

Ante occupationem istius Regni, post mortem Alexandri, Interregnum, anno 1.

A' victoriâ Arbelianâ, Alexander M, Asiæ dominatus est annis 2.

Ante eam victoriam Arbelianâ, Persæ rerum potiti sunt, annis 205.

Ante eos, Chaldæi & Babylonii Reges, indè ab Excidio Hierosolymitano 70.

Primus Ianuarii, anni 23. Ezechix Regis, præcessit Excidium Hierosolymitanum, annis 114.

*Summa annorum omnium eadem, qua supra,
721. annorum.*

Cùm in sacris literis, annorum continuorum series, post reditū ex Babylone, nos deficiat; & de Principio Hebdomadam Danielis, inter Theologos & Chronographos, adhuc variè disputetur: distantia supra-scripta non aliunde, quàm ex Historiâ communi non-sacrâ, & Motibus cœli, haberi potest: Ex quibus & nos eam deduximus, & demonstravimus.

SYNTHESIS TEMPORVM, A' POSTERIORI certo.

Epocha Christiana vulgaris, est posterius illud certum, & fundamentum totius Synthesis temporum, in Consulatu Caji Cæsaris, Augusti Imperatoris nepotis, & L. Aemilii Pauli; qui idem est 43. annus dicti Imperatoris Augusti à Triumviratu, & Urbis conditæ 753. Olympiadis 195. annus 1. Nabonassaris 748. Græcorum vel Seleucidarum annus 313. fixum.

A' Ianuario anni primi hujus Epochæ Christianæ vulgaris exclusivè, usque ad primum Ianuariū anni 23. Ezechix Regis Iudæ, in anteriora ascendendo, inclusivè, numerantur anni completi 721.

Quæ distantia supra, in apparatu hujus Syntheseos, ex
Histo.

Historiâ sacra, communi non-sacrâ, & Motibus coeli, plenè demonstrata est.

A Ianuario (intellecto semper ejus primo die) dicti 23. anni Ezechiaë, Regis Iudæ, exclusivè, usque ad quartum annum Salomonis, Regis Iudæ, inclusivè, quo is templi sui fundamenta jecit, anni Regum Iudæ, in libris Regum & Chronicorum, sunt 314.

Hic sedulò cavendum, ne anni currentes, & anni Vicariatûs filiorum, quibus illi cum parentibus, vel parentes cum filiis regnarunt, cum annis completis (quales hujus syntheseos anni omnes sunt) misceantur. Quod per comparisonem annorum Regum Iudæ, cum annis Regum Israël, facile evitari potest.

A Ianuario anni quarti Salomonis exclusivè, ad annum exitus ex Aegypto inclusivè, 1 Reg. c. 6. leguntur expressè anni 480. Sed is annus fuit currens, in quo fundamenta Templi fuerunt jacta, qui proximè-præcedenti numero jam fuit inclusus. Anteriùs igitur ante Ianuarium, elapsi sunt anni completi 479.

A Ianuario anni Exitus ex Aegypto exclusivè, ad Ianuarium anni 71. ætatis Abrahami, quo is in Ur Chaldæorum, antequàm in Charan proficisceretur, primam Evangelii promissionem à DEO accepit, (cùm Abraham 70. suæ ætatis annum excessisset, & jam 71. ageret. Genes. 11. v. ult. & cap. 12. in princip. Actor. 7. v. 4.) inclusivè numerantur anni completi 430.

Quæ distantia, inter primam promissionem Evangelii Abrahamo datam, & Legis promulgationem in Sinai, expressè definita est ab Apostolo, in Epist. ad Galat. 3. v. 17. Idem est tempus Peregrinationis Abrahami, & senis ejus, secundùm expositionem Ecclesiæ. Exod. 12. vers. 40. Quòd autem Abraham, post annos completos ætatis suæ 70. currente ipsius 71. primam Evangelii promissionem acceperit; etiâ hoc modo demonstrari potest. Quadringenti anni servitutis senis Abrahami, in ipso Isaaci

exortu initium, & in ipso exitu ex Aegypto finem, habuerunt. Isaac natus est anno ætatis Abrahami centesimo. Genes. c. 21. v. 5. Ergo, ad complendos 430. superiores annos, defunt adhuc anni 30. qui in numeris ætatis Abrahami, in anteriora retrò numeratis, ab ejus anno centesimo, digito quasi ostendunt ejus 71. ætatis annum currentem. Ita 30. Abrahami, & 400. servitutis feminis ejus, conficiunt eos 430. annos dictos, ad Galat. 3. v. 17.

A Ianuario anni ætatis Abrahami 71. exclusivè, ad Ianuarium ætatis Patriarchæ Tharæ, patris Abrahami, 131. quo anno Abraham natus est, inclusivè, intercedunt anni 70.

Quòd autem Abraham, annò ætatis Tharæ 131. & non anno 70. (ut vulgò fertur) natus sit; ex Actor. c. 7. v. 4. manifestum est. Eo enim in loco Spiritus sanctus, per protomartyrem S. Stephanum loquens, affirmat; Abrahamum, post mortem patris sui Tharæ, (qui, cum moreretur, fuit annorum 205. Gen. 11. vers. ult. quo tempore Abraham agebat annum ætatis suæ 75. Genes. c. 12. v. 4.) ex Charan discessisse, & iter versùs Canaan ingressum esse. Iam annis 75. in annis Tharæ, ab ipsius morte retrò in præcedentia numeratis; vel iis à totâ ætate Tharæ 205. subtractis; remanent 130. anni, quos Thara compleverat, & annum 131. agebat, cum Abraham nasceretur. Quòd ad locum Moyfis, Genes. c. 11. v. 26. attinet; eum omnes orthodoxæ Ecclesiæ, earumq; præcipui Doctores, ita interpretantur: Tharam, anno ætatis 70. cœpisse liberos procreare; inter quos Abram erat natu minimus. Quamvis enim primo loco sit nominatus: tamen non magis fuit inter suos fratres primogenitus, quàm Sem, Isaac, Iacob, & Iuda; qui passim in sacris primo loco nominantur, & fratribus suis præponuntur, quòd Christus ex illis nasciturus erat: non tamen exinde sequitur, eos primogenitos fuisse, vel priori loco natos.

A Ianuario anni ætatis Tharæ 131. in quo Abraham natus est, exclusivè, ad Ianuarium ejus anni; sc. sexcentesimi

ætatis Nohæ, in cujus secundo mense, id est, Novembri Iuliano, *Diluvium* cœpit, in ætatibus Patrum, inclusivè, id est, anno eo simul comprehenso, numerantur anni 353.

Hic non taceadum; *Diluvium* non cœpisse (ut vulgò scribitur) anno Mundi 1656. Quod de anno Mundi Iuliano falsum est: de anno tamen Hebraico primitivo tolerari potest. Major quidem Diluvii pars, incidit in annum Mundi Iulianum 1656. Sed ejus initium debetur 17. diei Novembris, qui in Genesi secundus Mensis appellatur.

A Ianuario anni Mundi 1655. & 600. Nohæ, in quo *Diluvium* cœpit, exclusivè, usque ad Ianuarium primi anni Mundi, in ætatibus Patriarcharum, inclusivè, anno Mundi primo simul comprehenso, numerantur anni completi 1655.

Summa annorum omnium Epocharum,

Anni 4022.

Ita ex sacris literis, *Historiâ* communi non-sacrâ, & Cœli motibus, demonstravimus, Primum punctum certum, (id est, primum diem primi anni Mundi) inclusivè, præcedere Posterius certum, (id est, annum primum Epochæ Christianæ vulgaris) inclusivè, annis Iulianis completis 4022.

Non ignoramus, Mundum Ianuario Mense non esse creatum; neque nos hoc dicimus: sed tantum *Synthesin* nostram, ad initium primi anni Mundi Iuliani, ab Epochâ Christianâ, deducere, hîc constituimus.





APPARATUS AD SUBSEQUENTEM ANALYSIN TEMPORVM: ET
 primò de PERIODO IVLIANÆ, ejusq;
 usu admirabili.

TRACTATU nostro Temporū restitutionis, lib. 6. c. 24. de origine, causis, & effectu *Periodi Iulianæ*, plenius differuimus: quò Lectorem remittimus. Hæc solummodò, de ejus formâ & usu, summa quædam capita attingemus; quantum ad Apparatum subsequenti Analyseos Temporum, ejusque intelligentiam, nobis necesse visum fuerit: in reliquis Lectorem ad suprâ commemoratum nostrum Tractatum, Temporum Restitutionis, remittentes. *Periodus Iuliana*, ex concursu trium Cyclorum usualium, enata & constructa est.

Quod sit *Periodus Iuliana*.

Periodus Iuliana, & revolutio 7980. annorum Iulianorū. In cujus principio, vel primo ejus anno, principia omnium trium Cyclorum usualium (*Lunæ*, qui & *Aureus numerus* appellatur, & *Syzygias Luminarium moderatur: Solis*, qui *ferias anni* ordinat: & *Indictionis*, qui *quindecennalem Periodum*, id est, tria *Lustra*, repræsentat) initiis suis concurrunt; & simul omnes ab unitate incipiunt. Et in ultimo suo anno, id est, in anno *Periodi Iulianæ* 7980. omnes suos Cyclos, radicibus suis, 19. 28. & 15. simul omnes claudunt. Quod utrumque nobis demonstrandum.

De primo: hoc est, de *Periodi hujus Iulianæ principio*, ejusq; primo Anno.

De anno Mundi vero, hinc anno Christiano correspondente.

Suprà in Synthesi temporum, & eorum compositione, ex sacrâ Scripturâ, Historiâ communi non-sacrâ, & motibus Cœli, demonstravimus, Epocham conditi Mundi, vel pri-

primum Mundi annum, qui verum illud primum punctum est, inclusivè, ab Epochâ Christianâ vulgari, & primo ejus anno, qui certum posterius punctum est, exclusivè, distare à Ianuario ejus Epochæ, annis completis 4022. Huic præcedentiæ Epochæ Mundi ab Epochâ Christianâ, adjiciatur præcedentia vel distantia Epochæ Christianæ, ab hoc anno præsentem & currentem Christiano 1626, qui est idem annus unitate diminutus, sc. 1625. Et compositum utriusque distantia vel præcedentiæ, erit verus Mundi annus, huic nostro præsentem & currētī anno Christiano 1626. correspondens.

Primus annus Mundi ante Epocham Christianam, 4022.

Præcedentia Epochæ Christianæ ante annum præsentem & currentem 1626. est 1625.

Resultat compositū totius præcedentiæ, annorū 5647. quæ est præcedentia anni primi Mundi, ab hoc præsentem & currentem anno 1626. Hæc præcedentia 5647. annorum unitate augeatur: & datur verus annus Mundi; huic præsentem & currentem anno Christiano correspondens; videlicet annus 5648. Cui in Periodo Julianâ correspondet annus Periodi 6339. Quod per sequentia ita demonstramus.

Periodus Juliana hoc habet singulare & proprium; ut singuli sui anni, correspondentium sibi annorum Mundi, (modò sint veri anni Mundi; uti sunt hujus Temporū Dispositionis) omnes tres Cyclos ejus anni proprios & naturales, semper in numeris suis, divisione per radices factâ cujusque Cycli, in residuis ostendant & cōmonstrent. Quod supra, in expositione Novæ Paullianæ Temporū Dispositionis, in 13. singulari, in præsentem & currentem anno Christiano 1626. in Periodo Julianâ ei correspondente anno 6339. exempli loco, demonstravimus: praxi divisionis per omnes tres Cyclos ibi adjectâ. Per quod exemplum evicimus: cum numeri anni Periodi Julianæ 6339. per radices omnium trium Cyclorum divisi, in suis residuis hos Cyclos edant; Lunæ, 12, Solis, 11. Indictionis, 8. atque hi veri

*De annis
Periodi Iu-
lianæ, annis
Mundi cor-
respondenti-
bus.*

& genuini hujus præsentis anni 1626. Cycli sint : exinde concludi & statui posse, Annum Periodi Iulianæ 6339, dicti anni Christiani 1626, verum in eâ Periodo correspondentem annum esse.

Potest & aliâ viâ, dato anno Mundi correspondens in Periodo Iulianâ annus haberi : si nimirum Radix Periodica Iuliana, quæ semper est 691, annis Mundi adjiciatur, quam viam infrâ clariùs declarabimus.

Quòd Periodi Iulianæ 1. annus, primus annus Mundi, 691. annis præcedat.

Datis duarum diversarum Epocharū, ut Mundi & Periodi Iulianæ, duobus correspondentibus sibi invicem annis, in unum eundemque annum concurrentibus : si minoris anni (qui semper est, respectu Periodi, annus Mundi) numeri, à majoris anni numeris (qui semper est annus Periodi, respectu Epochæ Mundi) subtrahantur : differentia sive residuum ostendet, quot annis Epochæ Periodi Iulianæ, vel ejus primus annus, in præcedentiâ ab Epochâ Mundi distet, eamque præcedat.

Annus Epochæ Periodi Iulianæ, Christiano 1626. correspondens,

6339.

Annus Epochæ Mundi, eidem anno Christiano 1626. correspondens,

5648.

691.

Differentia vel residuū, quot Epochæ Periodi Iulianæ major est, est 691. Tot ergo annis Epochæ Periodi Iulianæ Epocham Mundi vel creationis præcedit.

Ex quo hæc duo stabiliuntur confectaria.

1. Radix Periodi pro anno Mundi.

Primum : Numerum 691, annorum, veram Radicem Periodicam Iulianam esse, pro annis Mundi inventam : ita ut 691. anni, cuius anno Mundi vero (quales sunt anni Mundi Paullianæ Temporum Dispositionis) additi, eum annum, in annum Periodi Iulianæ commutent ; vel (quod idem est) ejusdem anni Mundi, in Periodo Iulianâ, verum correspondentem annum ostendant & commonstrent.

2. Anni primi Mundi correspondens in

Secundum confectarium est : quòd Radicis Periodicæ 691. sequens annus, videlicet 692. anno primo Mundi Iuliano, verus in ea Periodo Correspondens annus sit. Cum ergo

ergo

ergo annus Periodi Iulianæ 692. & annus primus Mundi, unus idemque annus sit; ut demonstratum: Ergo uterque annus eandem habent distantiam vel præcedentiam, ab Epochâ Christianâ vulgari, jam supra in Synthesi temporum detectam & demonstratam, 4022. scilicet annorum: quibus annus primus Mundi, inclusivè, dictam Epocham Christianam, exclusivè, antecedit. Ergo etiâ annus Periodi Iulianæ 692. inclusivè, totidem, id est, 4022. annis, ab Epochâ Christianâ vulgari, exclusivè, in anteriora distat. Si jam hæc posterior præcedentia Periodi, ante Epocham Christianam, 4022. quam Periodus cum Epochâ Mundi communem habet, cum priori, quam ante Epocham Mundi habet, combinetur, vel jungatur: conficitur tota præcedentia, vel distantia Principii Periodi Iulianæ, vel ejus primi anni, inclusivè, ab Epochâ Christianâ vulgari, exclusivè: & tota præcedentia, quâ pri-

Periodo Iuliana annus.
Præcedentia
1. anni Pe-
riodi, ante
Epocham
Christianam.

Præcedentia
Epochæ Pe-
riodi Iulianæ
ante Epocham
Christianam
vulgarem.

mus annus Periodi Iulianæ, Præcedentia prior 691.
ab Epochâ Christianâ vulgari, Præcedentia poste- 4022.
rior 4713.
ri, exclusivè, abest, vel eam antecedit, resultat ex additione,
4713. annorum. Ex quo consequitur, sequentem annum
Periodi, 4714. primi anni Epochæ, verum corresponden-
tem annum in eâ Periodo esse.

Idem annus correspondens, & aliâ via haberi potest: Si scilicet Radicem Periodicam, pro annis Mundi supra inventam, 691. anno Mundi Epochæ Christianæ vulgaris, quem Synthesis temporum Annus Mundi Epochæ 4022. supra ostendit esse annum Radix periodi 691.
Mundi 4023. junxeris, 4714.

Quæ via infra pleniùs declarabitur.

ILLATIONES EX SUPRA-
scriptis.

Ita per præcedentiam, vel distantiam Epochæ Mundi, ab Epochâ Christianâ vulgari 4022. annorū, supra in Synthesi temporum confirmatâ & stabilitâ, quòd hujus anni

Christiani præsentis & currentis 1626. in periodo Iulianâ correspondens annus sit 6339. per extractionē omnium trium Cyclorum, in 13. Singulari Novæ Paullianæ Temporum Dispositionis, supra demonstratum est, Ex quibus jam sequuntur hæc infra scripta.

IN ANNIS PERIODI IULIANÆ.

I. Epocham periodi Iulianæ, id est, primū ejus annum (qui est *certum illud prius*, in quo omnes tres Cycli simul ab unitate incipiūt) præcedere Epocham Mundi, vel primum illud punctum certum, quod est Ianuarius, & primus ejus dies, primi anni Mundi, annis Iulianis plenis 691.

Item, eandem Epocham Periodi Iulianæ, vel primum ejus annum, annum primum Epochæ Christianæ exclusivè præcedere, annis plenis 4713.

Item, eandem Epocham Periodi Iulianæ, vel ejus primum annum, hunc præsentem & currentem annum Christianum 1626. exclusivè, annis plenis 6338. præcedere.

Item, ex hac Epochâ Periodi Iulianæ, supra ostendimus enatas esse duas *Radices*.

I. *Radix Periodica* est, annorum scilicet 691. pro annis *Mundi* inventa: quæ radix, annis Mundi veris, nostræ Temporum Dispositionis, ante vel post Epocham Christianam vulgarem, adjecta, producit ejus anni Mundi, cui adjecta est, verum in periodo Iulianâ correspondentem annum, vel (quod idem est) annum Mundi in annum Periodi convertit.

II. *Radix Periodica*, annorum scil. 4713. pro annis *Christianis* inventa: quæ radix, annis Christianis nostris, quibus hodie utimur, adjecta, producit ejus anni Christiani, cui ea radix adjecta est, verum in Periodo Iulianâ correspondentem annum; vel (quod idem est) eum annū Christianum, in annum Periodi Iulianæ convertit.

IN ANNIS MVNDI CONSECTARIA.

Epocha *Mundi*, vel primus ejus annus Iulianus, ejusque
anni

anni primus Ianuarii dies, est *Primum illud punctum certum*, à priori certo, id est, à primo puncto Periodi Iulianæ; cui in eâ Periodo correspondet annus 692. Et à posteriori certo, id est, à primo Ianuarii die, primi anni Epochæ Christianæ vulgaris, exclusivè deductum, præcedit inclusivè, dictam Epocham Christianam exclusivè, (ut suprà dictum & demonstratū, in Synthesi temporum) annis plenis 4022. Hęc Epocham Mundi habet unicam tantūm *Radicem*, quam *Mundanam* appellamus; annorum scilicet 4023. Quæ radix cuique anno Christiano adjecta, producit ejus anni Christiani, cui adjecta est, verum annum Mundi, in nostrâ Paulianâ novâ Temporū Dispositione, correspondentem; vel (quod idem est) annum Christianum in annum Mundi verum convertit.

IN ANNIS CHRISTIANIS.

Annus Primus Epochæ Christianæ, est annus Periodi Iulianæ 4714. & est annus Mundi 4023.

DE PERIODI IULIANÆ FINE
& ultimo anno.

Definitio Periodi Iulianæ suprà commemorata, duo habet membra.

I. In principio vel primo anno ejus Periodi, omnes Cyclos usuales ab *unitate* simul incipere: quod per superiora demonstravimus: ubi &, dictum principium Periodi, ab Epochâ Mundi, in anteriora, ad 691, annos; ab Epochâ verò Christianâ, ad 4713. & ab hoc anno præsentem Christiano, ad 6338, annos, etiam in anteriora, abesse confirmavimus & stabilivimus.

II. Membrum ejus Definitionis fuit; Ultimo Periodi anno, omnes tres Cyclos usuales, in radicibus suis claudi, 19.28. & 15.

Hoc secundum membrum hîc nobis adhuc restat demonstrandum: quod factu nobis non erit difficile. Si Periodus Iuliana, est Revolutio 7980, annorum; uti est:

Ergo ipsa tota revolutio erit Periodi 7980. & ultimus annus. Quòd autem omnes tres Cycli, cum radicibus suis, eo anno claudantur, ex eo manifestum est. Suprà, in expositione Novæ Paullianæ Temporum Dispositionis, singulari 13. annotatum est: si post divisionem numerorum aliqujus anni Periodi, per aliquam ex radicibus, nihil sit in residuo; id indicium esse, eum annum ejus Cycli ultimum annum esse, & ipsam radicem ejus anni Cyclum esse. Si igitur annus Periodi Julianæ, ejusq; numeri 7980. per radices omnium trium Cyclorum dividantur, & nihil in residuis remanserit: demonstratum est, eo anno omnes tres Cyclos in radicibus suis finiri.

<i>Pro cyclo Lune,</i> per 19.	<i>Pro cyclo Solis, per</i> 28.	<i>Pro cyclo Indictionis,</i> per 15.
34	4	44
330	274	2430
7980 (420)	3340	7980 (532)
1999	7980 (285)	1555
44	2888	44
	22	

Cùm ergo ex ipsâ operatione manifestum sit, nihil remanere in residuis: Ergo eo anno omnes tres radices Cycli ejus anni erunt; & hic 7980. Periodi annus ultimus ejusdem Periodi; qui ab hoc præsentè anno Christiano 1626. adhuc abest annis 1642. Ita annus 1643. orditur novam Periodum Julianam, in quo omnes tres Cycli simul ab unitate incipiunt.



ANALYSIS NOVÆ PAVLI-
 ANÆ TEMPORVM DISPOSITIO-
 nis, à primo puncto certo, à priori & à poste-
 riori certo, deducta.

HOC primum punctum certum, est primus dies primi anni Mundi Iuliani, à Priori certo, id est, à primo anno Periodi Iulianæ, dependens, cujus Periodi est annus 692. & à Posteriori certo, id est, ab Epochâ Christiana vulgari, in anteriora tempora deductâ: quâ epocham hoc punctum inclusivè; Epocham autem exclusivè sumptam, præcedit annis plenis 4022. Hoc primum est hujus Analyseos. Secundum, ex Synthesi nostrâ Temporum, suprâ abundè deductum & demonstratum est.

Ab hoc ergo anno primo Mundi, hoc modo à duobus punctis, uno superiore, & altero inferiore, firmato & stabilito; tempora per Analysein in consequentia, vel deorsum, deducemus.

Priùs hoc declarandum est; Nos non ignorare, Mundum in Ianuario, vel circa tropen hybernâ, à Deo non creatum esse.

Cum orthodoxâ enim Antiquitate ita existimamus, Mundum in Autumno creatum esse: & alibi argumentis hanc sententiam firmavimus; & simul probavimus, Mundi anno Periodi Iulianæ 691. anno primum annum Mundi proximè præcedente, & ante Ianuarium primi anni Mundi, duobus Mensibus, & aliquot diebus, creatum esse. Videatur caput 28. lib. 6. Tractatus nostri de Restitutione Temporum: quo loco diem Mensis primi, pro die Creationis, determinavimus.

Ab hoc primo anno Mundi vero, qui idem est annus Periodi Iulianæ 692. & annus ante Epocham Christianam vulgarem 4022. ab hoc, dico, Anno Mundi primo inclusivè, (nam in hac Methodo analyticâ, Termini à quibus, semper inclusivè; Termini verò ad quos, exclusivè, à Calendis Januariis ad Calendas Ianuarii, in posterum intelliguntur) & à Calendis Januariis hujus primi anni Mundi inclusivè, usq; ad annum, in cujus secundo Mense Hebraico, & Novembri Iuliano, & anno sexcentesimo ætatis Nohæ, *Diluvium* cœpit, exclusivè, in ætatibus Patriarcharum, Genes. cap. 11. numerantur anni Iuliani pleni 1655.

Huc referenda, quæ suprâ hoc eodem loco, in Synthesi nostrâ, de vero initio Diluvii, monuimus.

Ab hoc anno Mundi 1655. in quo Diluvium initiû habuit, & à Sexcentesimo anno Iuliano ætatis Nohæ inclusivè, usque ad annum ætatis Tharæ, patris Abrahami, 131. quo anno Abraham natus est, exclusivè, in ætatibus patrû inveniuntur anni pleni 353.

Huc referenda sunt, quæ de nativitate Abrahami, in Synthesi nostrâ, suprâ annotavimus, ex Act. 7. Gen. 11. & 12.

Ab anno ætatis Tharæ 131. & nativitate Abrahami, inclusivè, usque ad annum ætatis Abrahami 71. exclusivè; quo anno Abraham, in Ur Chaldæorum, primam Euangelii promissionem à Deo accepit; sunt anni pleni 70.

Huc pertinent annotata suprâ, in Synthesi, de anno, quo Abraham primam Euangelii promissionem accepit, ex Gen. 12. & ad Galat. 3. cap.

Ab hoc anno ætatis Abrahami 71. quo is primam Euangelii promissionem accepit, inclusivè; usque ad annum Exitus ex Aegypto, exclusivè, definiuntur in Sacris anni pleni 430.

Exodi cap. 12. vers. 40. & ad Galatas 3. vers. 17. Huc referenda,

renda, quæ de primâ Euangelii promissione ante promulgationem legis Abrahamo datâ, suprâ, in nostrâ Synthesi temporum, differuimus.

Ab anno Exitus ex Aegypto inclusivè, usque ad annum quartum Regni Salomonis, Regis Israël, quo is fundamenta sui Templi jecit, exclusivè, anni pleni 479.

1. Regum cap. 6. habentur quidem anni 480. sed quia ultimus annus currens est, & in sequenti termino includitur; & in hac temporum Analyfi, omnes anni completi sunt; & ultimus annus sequenti termino includendus erat: hic non nisi 479. anni completi in considerationem veniunt.

Ab anno quarto Regni Salomonis, quo is Templi sui fundamenta jecit, inclusivè, usque ad annum 23. Ezechia, Regis Judæ, exclusivè, in annis Regum Judæ, cum annis Regum Israël comparatis, inveniuntur anni pleni 314.

Huc pertinent commonefactiones, quas hoc loco suprâ in Synthesi nostrâ annotavimus, de annis Vicariatus vel proregni filiorum; & de annis, quibus parentes cum filiis regnarunt; & de currentibus cum completis non commiscendis. Quæ omnia ex comparatione annorum Regum Judæ, cum annis Regum Israël, facillè haberi possunt.

Ab anno 23. Ezechia, Regis Judæ, inclusivè, usque ad Januarium *Epocha Christiana* vulgaris exclusivè, in annis Regum Judæ, Monarcharum Babyloniorum, Persarum, Alexandri Magni, Regum Aegyptiorum, Augusti Imperatoris, (anno scilicet Imperii ejus 43. & Consulatu Caji Cæsaris, dicti Imperatoris nepotis, & Lucii Aemilii Pauli) & Motibus cœlestibus, numerantur præcisè anni pleni 721.

Collectis omnibus numeris nostræ Analyseos, à primo Januarii, primi anni Mundi, & periodi Iulianæ, 692. inclusivè, usque ad primum Januarii, primi anni *Epochæ Christianæ*, exclusivè, inveniuntur in unâ summâ anni 4022.
quot

quot annos etiam exhibet suprâ Synthesis nostra temporum. Ita Dispositio hæc nostra temporum nova, per utramque Methodum confirmatur.

*Epilogi loco, & pro Conclusionem hujus nostri Consilij,
monendus est Lector.*

Chronologos, præcipuè verò Theologos nostros, ex Hebdomadibus Danielis, Achilleum exstruere argumentum: quo depugnare conatur, in solâ Sacrà Scripturâ, mediantibus dictis Hebdomadibus, continuam temporis seriem, usque ad Christum, sinè ullâ interruptione haberi posse; nec opus esse, ad historiam communem (quam illi, ignominioso vocabulo, prophanam appellant) confugere vel recurrere. In nullo item temporis pûcto, inter Chronographos & Theologos, majorem hæsitacionem & incertitudinem deprehendi; quàm in designando principio Hebdomadam Danielis. Aliqui, & præsertim Theologi, id principium jungunt Anno primo Cyri, & edicto ejus de reditu ex Babylone: quod principium ut obtineant; non verentur, ipsum textum sacrum, Danielis 9. vers. 25, corrumpere; & pro verbis, *de restaurandis & reedificandis Hierosolymis*, substituere, *Ab egressu verbi de reduciendo populo*: alii, *ab egressu populi, &c.* O animi impotetiam, & detestandum sacrilegium, quod hîc à primariis quibusdam Theologis committitur! Alii assignant principium Hebdomadam Danielis, anno 2. Darii Hystaspis: quo is Edictum promulgavit de restaurandis Sacrificiis, & reedificando Templo. Alii anno 7. Artaxerxis Longimani: cujus permisso Esdras tum partem populi reduxit. Alii, inter quos Iosephus Scaliger, dictum principium Hebdomadam jungunt anno 2. Darii Nothi. O nothum & spurium dogma! quæ alligatio priorum omnium est absurdissima & vanissima. Hæc est illa tantoperè collaudata, & decantata continua temporum series in Sacris: quæ non minina causa fuit conurbationis temporum.

Ne

Ne verò hæc incertitudo principii Hebdomadam Danielis nos hîc moretur: dicimus, completarū & jam præstitarum Prophetiarum verissimum & optimum interpretem esse *Eventum*. Cùm ergo ex verbis Oraculi Danielis, cap.9. vers.26. manifestum sit, *Christum* in medio ultimæ septimanæ excindendum esse; & Christus in anno Consulatus S.Sulpitii Galbæ, & L.Cornelii Sullæ, crucifixus & mortuus sit: revolvantur jam ab hoc anno, anni 484. quot habent Hebdomadæ Danielis, dimidiâ hebdomadâ diminutæ: & principium Hebdomadam Danielis digito quasi præmonstrat & designat hic numerus, annum Artaxerxis Longimani vigesimū; quo anno is, sollicitante Nehemiâ, Edictum publicavit, & egressum est verbum, de restaurandâ & reædificandâ Hierosolymâ, Nehemiæ cap.1. Ita principium Hebdomadam Danielis, in verâ nostrâ temporum Dispositione, ritè cum anno 20. Regis Persici Artaxerxis Longimani jungitur: adstipulantibus verbis Angeli; & cruce Christi per eventum id comprobante.



QUA RATIONE ET METHODO FERIAE,
 ex numeris annorum Mundi, hujus nostræ novæ & Paul-
 lianæ Temporum Dispositionis, extrahi & ha-
 beri possint.

Fig. 13.

Non leve momentum adfert character *Feriarum*, ad confirmationem alicujus temporum dispositionis; si ex numeris ejus, in annis Mundi, *Feria* ita extrahi possint; ut ad eos dies Mensis, quibus tam in Sacris literis, quam apud alios Scriptores, eæ ascriptæ reperiuntur, exhibeantur. Sciendum autem est, *Ferias* veras & genuinas, per unius-cujusq; anni verum Cyclum Solis haberi: qui qualiter ex numeris nostrorum annorum Mundi extrahatur, supra in novæ nostræ Paullianæ Temporum Dispositionis singulari 13. traditum est & demonstratum; ad quod 13. singulare hic *Feriarum* Tractatus referendus est; ab eo enim, tanquam ejus confectarium, dependet. Ne autem quid Lector hic desideret; extractio hæc sequenti conficitur methodo.

Anno nostro Mundi cuilibet adjiciatur radix periodica Juliana, pro annis Mundi inventa; quæ semper est 691. annorum: productum, erit ejus anni Mundi, in Periodo Julianâ, annus correspondens, vel (quod idem est) datus annus Mundi in annum Periodi Julianæ erit conversus. Quo facto, Numeri hujus anni Periodi Julianæ dividantur per Radicem Solis, quæ semper est 28. Numerus qui ex divisione remanet in residuo, est verus Cyclo Solis ejus dati anni Mundi, qui quærebatur. Cum hoc Cyclo Solis, hac ratione invento, fiat ingressus in Tabulam Cycli Solis hæc ascriptam: & Cyclo Solis, ita per divisionem inventus, ostendet, versus dexteram, veram litteram Dominicalem, ei anno congruentem, si annus communis est: quod ex eo cognoscitur, si detur unica & simplex littera. Sin dentur binæ litteræ: nota est, quod sit annus ille bisextilis. Tuncq; prioris litteræ usus est usque ad 24. Februarii: posterioris verò usus est in sequentibus hebdomadibus ejus anni.

TABU-

TABULA CYCLI SOLIS.

Erasmus Reinholdus, in Tabulis Prutenicis, Præcepto 6, fol. 24. & 25, hujusmodi tradit modum, Ferias cujusq; diei Mensis investigandi. Si datus sit annus, cujus diei feria investiganda, sit annus ante Epocham Christianam vulgarem, eamque præcedat: I. Accipiatur ejus anni à dictâ Epochâ distantia, vel præcedentia in anteriora: quod idem est. II. Ea unitate minuatur. III. Numeri ita diminuti, per 28. quæ est radix Cycli Solis, dividantur. IV. Residuum, quod ex eâ partitione superest, servetur. V. Cum eo fiat ingressus in Tabulam subjectam annorum unius Cycli Solaris; & excerpatur

Cycli Solis.	Littera Dominicalis.	Cycli Solis.	Littera Dominicalis.
1	G F	15	C
2	E	16	B
3	D	17	A G
4	C	18	F
5	B A	19	E
6	G	20	D
7	F	21	C B
8	E	22	A
9	D C	23	G
10	B	24	F
11	A	25	E D
12	G	26	C
13	F E	27	B
14	D	28	A

feria, ei residuo ad dexteram correspondens. VI. Ea feria seorsim annotetur, & servetur. VII. Deinde dati Mensis assumatur Mensis proximè sequens, & in columnâ annorum, ante vel post Epocham Christianam, accipe feriam ei Mensi ad dexteram correspondentem, habitâ ratione anni communis & bisextilis, qualis datus annus fuerit: hancque feriam superiori feriæ residui suprâ inventæ subsigna, & serva. IIX. Tandem Mensis, in quo datus dies reperitur, omnes dies, à calce mensis sursum ascendendo, usque ad datum diem, eoque simul comprehenso & incluso, dinumerentur. (Norandum autem, quòd in annis post Epocham Christianam, hi dies uno die augentur, id quod exemplo Auctoris colligitur. Nam à die 6. Junii, eo simul cõprehenso, non inveniuntur, nisi 25. dies:

CANON FERIARUM.

In Tabulis
Prutenicis,
fol. 13. b.

ANNI UNIVS
Cycli Solis.

ANNI ANTE EPO-
cham Christianam.

ANNI POST EPO-
cham Christianam.

Cycli Solis.	Feria.	Cycli Solis.	Feria.
1	1	15	4
2	2	16	6
3	3	17	7
4	5	18	1
5	6	19	3
6	7	20	4
7	1	21	5
8	3	22	6
9	4	23	7
10	5	24	2
11	6	25	3
12	1	26	4
13	2	27	5
14	3	28	7

MENSES.	Communis.	Bisextilis.
Januarius.	1	2
Februarius.	5	6
Martius.	5	5
Aprilis.	2	2
Majus.	7	7
Junius.	4	4
Julius.	2	2
Augustus.	6	6
September.	3	3
October.	1	1
November.	5	5
December.	3	3

MENSES.	Communis.	Bisextilis.
Januarius.	3	3
Februarius.	3	4
Martius.	6	7
Aprilis.	1	2
Majus.	4	5
Junius.	6	7
Julius.	2	3
Augustus.	5	6
September.	7	1
October.	3	4
November.	5	6
December.	1	2

Auctor autem numerat 26. In annis verò ante Epocham Christianam, hoc augmento non est opus.) IX. Ab eo numero dierum, quoties possibile erit, 7. rejiciantur. X. Residuum reliquis duobus numeris inventis subscribatur. XI. Post omnes tres numeri in unam summam colligantur. XII. Rursus, à collectâ summâ abjiciatur numerus septenarius, quoties id fieri potest. XIII. Residuum à Radice Epochæ Christianæ, quæ semper est *sex*, subtrahatur. XIV. Id Residuum est feria diei dati, quæ investigabatur. Quòd si nihil remaneat in residuo, (utputa cum residuum est 6.) ab iis sex radix Epochæ, ut 6. subtrahatur.

ta, relinquit 0. Ergo est feria tūc septima, vel Sabbatum, Quoties autem Cyclus Solis habet duplicem litteram dominicalem, is annus est bisextilis. Sin tantūm habet unam; est annus communis.

Primum exemplum hujus extractionis Feriarum, ex numeris annorum Mundi, nostræ Temporum dispositionis, dabimus ex *Sacris* litteris. Exodi cap. 16. in principio, scribit Moyses; *Populum Israëliticum, decimo-quinto die secundi Mensis, primi anni Exitūs ex Aegypto, in desertum Sin venisse; sub vesperam, ingentem copiam coturnicum castra texisse: sequenti die, qui fuit decimus-sextus ejusdem secundi Mensis, manè Manna primum pluisse: indè post septem dies Sabbatum fuisse.* Is igitur septimus dies post 16. incidit necessario in 22. diem ejusdem mensis; qui dies Hebraicus cœpit ultimo Maji, anni Juliani, horâ 6. vespertinâ, Sole jam occidente: quem diem, circa sequentem mediam noctem, excepit 1. Junii. Hocque primum Sabbatum collectione Mannæ fuit violatum: eodem cap. vers. 27. Experimentum jam fiat, an nostra temporum Dispositio, in nostro anno Mundi, hanc feriam septimam, illo 22. die secundi Mensis Hebraici, vel 1. Junii anni Juliani, producat, an aliam. Nostra temporum Dispositio Paulliana, assignat annum Exitūs ex Aegypto anno Mundi vero 2509. qui est ante Epocham Christianam vulgarem annus 1515. I. Hic annus unitate minuatur: & relinquuntur 1514. II. Isti anni per radicē Cycli Solis, quæ semper est 28. dividantur: & in residuo manent 2. III. Cum hoc residuo

*Primum
exemplum,
ex Sacris.*

$$\begin{array}{r}
 23 \\
 52 \quad 2 \\
 2524 \quad (54. \\
 288 \\
 2
 \end{array}$$

ingredior Tabulam illorum unius Cycli Solis: & correspondet illi residuo feria 2. quam reservo, & noto.

IV. Mensis dati, qui est Junius, assumo Mensem proxime sequentem, qui est Julius. V. Ex Tabulâ annorum ante Epocham Christianam excerpo feriam, quam dicitur Mensis Julius mihi monstraverit: quæ etiam datur 2. Hanc primæ feriæ residui subnoto. VI. Tandem Mensis dati, id est, Junii, dies omnes, à calce ejus sursum ascendendo, usque ad diem datum, eo simul inclusivè connumerato, dinumero: & dantur dies 30.

2. Feria residui.
2. Feria mensis.
2. Residuum dierum.
Summa 6.

VII. Ab hoc numero abjicio 7. quoties possum. Vel eundem numerum, 30. scilicet, per 7. divido: quod idem est. IIX. Residuum 2. reliquis duabus feriis servatis subscri-

2
30 (4.
7

bo. IX. Servatos numeros in unam summam colligo: & dantur 6. X. A summâ collectâ, Radicem Epochæ, quæ semper est *sex*, subtrahô: & remanet nihil. 0. Ergo noster annus, pro dicto die 22. Hebraico Mensis secundi, & 1. Junii anni Juliani, exhibet feriam septimam, sive Sabbathum: quam feriam & Moyses habet. Eadem igitur nostra Temporum dispositio, sicut & nostri anni Mundi, per characterem Feriarum maximè confirmantur: id quod erat demonstrandum.

*Alterum
exemplum,
ex anno civi-
tatis.*

Alterum exemplū esto dies Ascensionis Christi, hujus currentis 1627. anni Christiani. Ubi notandum, in annis post Epochâ Christianam, in dinumeratione dierum, supra datum diem adhuc unum esse superaddendum: in annis autem ante Epocham Christianam, non item. Experiamur igitur, in quam feriam ille nobis incidat. I. Annus currentis unitate minuatur: & remanent 1626. II. Hi numeri per radicem Cycli Solaris 28. dividantur: & remanet residuum 2. III. Cum hoc residuo ingredior Tabulam

unius

$$\begin{array}{r}
 46 \\
 622 \\
 4626 \quad (58. \\
 288 \\
 2
 \end{array}$$

unius Cycli Solaris; & inuenio ei correspondentem feriam similem 2. quam reservo & annoto. IV. Quia datus annus est post Epocham Christianam: ergo accipio mensem proximè præcedentem, qui est hîc Aprilis. Is in Tabulâ, post Epocham Christianam dat feriam 1. quam priori feriæ subscribo. V. In mense dato, incipiendo à die dato, eoque simul comprehenso, dies deorsum usq; ad calcem dinumero; & inuenio 29. quibus superaddo unum; & fiunt 30. VI. Hos 30. dies divido per 7. & in residuo remanent 2. Quod residuum subnoto servatis numeris. VII. Omnes tres numeros in unam summam colligo, quæ dat 5. IIX. Huic summæ adjicio radicem Epochæ, quæ est 6. & fit summa 11. IX. Ab eâ rursus abjicio Radicem adjectam 6. & remanent 5. quæ est feria quæsitâ 3. Maji, in die Asscensionis, anni Christiani 1627. Hæc feria 5. ostendit diem Jovis, quem habent omnia nostra Diaria.

Eadem feria potest etiam haberi ex Cyclo Solis, quem dant numeri anni Periodi Julianæ, nostro anno Mundi

$$\begin{array}{r}
 1 \\
 36 \\
 218 \quad 2 \\
 6346 \quad (226. \\
 2888 \\
 22
 \end{array}$$

5649. correspondentis, qui est 6340. per radicem Solis 28, divisi; in residuo scilicet 12. qui Cyclo Solis, per

Tabulam superiorem, dat literam dominicalem G, quæ ostendit feriam primam, in 29. Aprilis. Sic 3. Maji, qui est dies Ascensionis, necessariò incurrit in feriam quintam. Ergo nostri anni Mundi, in singulis suis diebus, exhibent veras & naturales
Ferias.





ARTIFICIUM SETHI CALVISII, MUSICI ET CHRONOLOGI Lipsensis; quo in suam ipsius, & Josephi Scaligeri, Chronologiam & Temporis Dispositionem, sub pretextu pratenſi consensus ejus cum Motibus cœlestibus, in Phenomenis posterioris seculi à Scriptoribus & Astronomis annotatis, stabilire, & pro verâ venditare; atq; hoc modo utriusq; errores, in prioribus seculis admissos, tanquam pallio obtegere & velare, annititur; detectum, & Ecclesiæ manifestatum.

SETHUS CALVISIUS, ante annos 20. Chronologiam in publicum edidit, sub suo quidem nomine: ea autê reverâ Josephi Scaligeri est; quam is, in suo Temporum emendationis tractatu, in suâ temporum compositione habet. Immane est, quantis eam laudibus dictus Calvisius, in suâ Isagoge, quam ille Chronologiæ suæ præfixit, cumulet; eamq; unicam veram, perfectam, & omnibus numeris absolutâ temporis Dispositionem esse, contendat. Idq; ex eo potissimùm evincere conatur: quòd Phænomena & Eclipses, ab Herodoto, Thucydide, Ptolemæo, & aliis, annotata, ad annos suos Mundi, extabulis Motuum cœlestium edantur; & ad annos eos proveniant, iisdem diebus, horis, & horarū scrupulis quibus illæ apud dictos Auctores, in eorum monumentis, reperiuntur. De quâ re ille, in dictâ suâ Isagoge, mirè gloriatur, & magnum triumphum ducit. Ut verum fatear, hæc res non parâm in initio me commovit, & diu me suspensum tenuit. Cùm enim certò scirem, Calvisianam-Scaligerianam temporis Dispositionem, ejusque annos Mundi, notoriè vitiosos & erroneos esse: intelligere tamen non potui, quâ ratione

hæc extractio verorum motuum cœlestium, ad hos annos Mundi erroneos, fieri posset. Tandem tabulas illas motuum, ex quibus hæc extractio fiebat, diligentius considerans, deprehendi, eas non tabulas motuum cœlestium generales perpetuas; (quales sunt Prutenicæ Reinholdi, Magini, & Frisicæ Lunares ac Solares Nicolai Mulerii Leovvardiensis, & similes) sed tantum particulares, ab ipso Calvisio fabricatas, & suæ Isagogæ insertas esse. Sed penitius inspiciens & evolvens easdem tabulas, inveni eas bipartitas, & in annos expansos & collectos distributas. Expansos comperi annos 76. (quæ una Periodus *Calypica* est) non excedere: & collectos, ex meris Calypicis aggregatos esse. Quo viso, statim Sol veritatis, nebulis discussis, mihi illucescere cœpit. Tandem deprehendi, Calvisium suos Scaligerianos annos Mundi, ad Motus cœlestes, uti meritò debuisset, non accommodasse: sed Motus cœlestes in ordinem redegisse, iisque apertè vim intulisse, & ad suos annos Mundi Scaligerianos retulisse: idque beneficio Periodi *Calypice*, quæ ad suam intentionem abusus est, eum fecisse. Ita animadverti, eas Calvisii Motuum cœlestium tabulas, non solum particulares, & non generales, tantò minùs perpetuas; sed etiam violentas & coactas, non veras & naturales Motuum cœlestium tabulas esse. Ad cuius rei intelligentiam, quædam de Periodo *Calypicâ* nobis necessariò sunt exponenda: ut hoc artificium eò faciliùs detegatur.

Periodus Calypica quid.

Periodus Calypica, est revolutio 76. annorum; quibus decursis, Syzygiæ Luminarium, Novilunia, Plenilunia, & Eclipses, ad eadem temporis momenta, in quibus ante 76. fuerunt, recurrunt: ab Auctore, qui tempore Alexandri Magni vixit, Calypso, sic dicta. Ita omnes primi anni omnium Periodorum Calypicarum, quo ad Syzygias Luminarium & Eclipses, sibi ipsis invicem sunt similes; eodem modo Secundæ Secundis, Tertiæ Tertiis, Quartæ Quartis, &c. & ita consequenter ultimæ ultimis. Quod quidem in propinquo

pinquioribus perpetuò ita se habet. In remotioribus autem annis, qui nimis magno intervallo invicem distant, motus & variatio Aequinoctiorum, inducunt quandam dissimilitudinem. Possunt autem hæ Periodi Calyppicæ, à quolibet puncto temporis, & anno Mundi, inchoari. Si à primo Creationis anno ducantur, ut septuagesimus-sextus, quisq; annus Calyppicæ auspicetur: illæ Calyppicæ, *naturales* appellantur. Plerumque autem, & frequentius, à primâ Calyppicâ Auctoris, initium habent. Hæc prima Calyppica Auctoris, anno Pugnam Arbelianam, quâ Alexander Magnus Darium Codomannum, Persiæ Regem, devicit, proximè sequenti. Ab hac primâ Calyppicâ auctoris, omnes reliquæ Calyppicæ, in præcedentia & consequentia, dinumerantur. Et quàmvis anni singulares propinquarum Calyppicarum, sibi invicem, quo-ad Syzygias & Eclipses, correspondeant, sibiq; invicem similes sint: tamen ipsæ integræ & totæ Periodi, in ipsâ Temporis Dispositione, quo-ad situm, maximè differunt. Nam secunda Periodus, semper 76. annis primâ est posterior; & tertia totidem secundâ; & quarta tertiâ eodem modo: & sic consequenter.

Ita integræ Periodi, singulæ per se consideratæ, quàmvis annis sibi invicem similes; tamen diversos situs, & principiis suis diversos annos Mundi; ut & in unaquâque Periodo singuli anni, in totâ vel universâ temporum Dispositione, obtinent: atq; ita integræ Periodi, ut & singuli anni, ratione situs, multùm inter se differunt.

Prima Calyppica Auctoris, in verâ nostrâ Paullianâ temporum Dispositione, habet annum Mundi verum 3693. *Periodi Iulianæ 4384.*
Ab hac primâ Calyppicâ Auctoris, vel artificiali, reliquæ veræ Calyppicæ artificiales omnes, in præcedentia & consequentia, deducuntur.

Scaligeriano-Calvisiana erronea Prima Auctoris, vel artificialis Calyppica, ipsis, in suâ Tēporū Dispositione, fixa est

*Periodi It-
liana 4311.*

in anno eorum Mundi 3620. qui in nostrâ Paullianâ temporum Dispositione est annus tertius primæ proximæ præcedentis Calyppicæ: & ita Scaligeriana-Calvisiana prima Auctoris Calyppica, nostrâ verâ primâ Calyppicâ, 73. annis & anterior; illamque per integram Periodum Calyppicam, minus tribus annis, præcedit. Ab hac Scaligerianâ-Calvisianâ primâ Calyppicâ, & eorū anno Mundi 3620. erroneo, omnes reliquæ eorum Calyppicæ, & in præcedentia, & in consequentia, deducuntur; & eâdem labe, quâ prima, à quâ deducuntur, laborant: ita ut omnes nostris veris 73. sint anteriores. Sic Scaligeriana secunda, cum nostrâ primâ verâ; & tertia Scaligeriana, cum nostrâ secundâ verâ; & quarta Scaligeriana, cum nostrâ tertiâ verâ: & sic in sequentibus & præcedentibus consequenter. Id quod ex subjecto Diagrammate, & cōparatione utriusque Calyppicarum, perspicuum erit. Hæc anticipatio Calyppicarum Scaligerianarum, diversos annos Mundi in numeris, & annorum diversas denominationes inducit.

Ut autem secretum id confictorum & coactorum Motuum cœlestium, Calvisianarum Tabularum, Mundo evidentius patefiat & innotescat: sciendum est, Calvisium, cum videret, ad annos Mundi suos & Scaligeri, ex Tabulis generalibus, & Motuum cœlestium perpetuis, (quales sunt Prutenicæ, Magini, & Frificæ Lunares ac Solares Mulerii) motus cœlestes ad votum non provenire; nec eas Tabulas suæ & Scaligeri temporum Dispositioni quadrare; ad novas Tabulas Motuum cœlestium conficiendas, animum adjecisse: atque id fecisse, hac inventione & hoc compendio usum. Cum Eclipsin quandam, apud Scriptorem quandam consignatam, anno cuiusdam suo Mundi assignare vellet: ut idem tempus, quod habet Scriptor, assequeretur; proposuit sibi Calyppicam, suo anno Mundi dato, cui Eclipsin assignatam vellet: & in eâ omnium & singulorum Eclipsibus diligenter consideratis, an annum habere posset, in quo Eclipsis aliqua eâ die

&

& horâ daretur, quâ die ea ab Scriptore fuisset consignata: qui annus non difficilis ei fuit inventu. Eum annum habitum, suo anno dato junxit; & Calyppicæ præcedentes annos suis præcedentibus, sequentes suis sequentibus junxit: & secundum hanc Calyppicam, omnes reliquas, & præcedentes, & sequentes, disposuit: atq; ita tabulam suam Annorum *expansorum* concinnavit; ei que post, facili negotio, alteram Annorum *collectorum*, ex meris Calyppicis aggregatis, subjunxit: quæ ipsi reliquas Eclipses, iis diebus & horis, quibus illæ apud Scriptores annotatæ reperiuntur, facillè suppeditarunt. Nã Eclipses omnes, naturalibus suis intervallis, ab invicè dissidēt: quæ intervalla in Calyppicis, unâ datâ, & reliquis Calyppicis, præcedentibus & sequētibus, secundum primam dispositis, in dictis Calyppicis ad amissim haberi possunt. Sed si quis pro primâ verâ, (quod propter similitudinem earum facillè contingere potest) alienam nactus fuerit; quod Calvisio hîc accidit; omnes præcedentes & sequētes Calyppicæ, quâmvîs motus cœlestes similes veris, & congruentia tempora edant & exhibeant, Scriptorum temporibus similima; tamen alienæ & erroneæ Calyppicæ sunt, non veris annis Mundi adhærentes. Hic enim effectus est similitudinis Calyppicarum inter se.

Atque hæc est vera Anatomia & Resolutio Tabularum confictorum & coactorum Motuum cœlestium, Calvisianarum, in Isagogâ suâ propositarum. Ex quibus simul perspicitur causa, ob quam eæ nihilominus, ad erroneos Scalligerianos annos Mundi, veros motus cœlestes, suis diebus & horis edant & exhibeant; quâmvîs & Tabulæ, & anni Mundi vitiosi & erronei sint; scil. id fieri propter similitudinem singulorum annorū diversarum Calyppicarum; ut supra dictum. Ut autem hæc differentia, inter veras generales perpetuas, & particulares confictorum & coactorum cœlestiū motuum tabulas Calvisianas, eò magis elucescat, & Sole meridiano clariùs appareat: eam unico

exemplo, in uno Phænomeno, & quidem omnium antiquissimo, quod unquam à Scriptoribus annotatum fuit, (nam quæ de Romuli Eclipsibus apud Ciceronem & Tarrutium habentur, meræ nugæ sunt & figmenta) demonstrabimus.

Prolemæus, lib. 4. Almagesti, cap. 6. fol. 95. Græci exemplaris, Eclipsin Lunæ nobis commemorat, anno 27. Nabonassaris, & primo anno Merdocepadi, vel Merodachi, Babylonii Regis; (notus hic etiam in Sacris) quæ apparuit, ejus anni, die 29. Thot Mensis Aegyptii, correspondente 19. Martii anni Juliani: qui annus, cum suâ Eclipsi, incidit nobis, in nostrâ Paullianâ verâ temporum Dispositione, in annum Mundi 3302. cum quo concurrunt simul anni; 27. Nabonassaris, 1. Merodaci Babylonii, & Ezechix Regis Judææ annus 23. ad quem eodem anno suprâ nominatus Rex Babylonius Merodach legatos misit, sciscitatum de umbre miraculo. Est hic annus 65. Calyppicæ, primam nostram veram præcedentis.

2 Reg. cap. 2
vers. 12. & 2
Chron. cap.
32. vers. 31.
Esaie ca. 39.
in pr.

Jam experimentum fiat, num ex tabulis Motuum cœlestium generalibus perpetuis, ad annum hunc nostrum Mundi 3302. hæc Eclipsis Lunæ, cum tempore suo, Prolemæi tempori congruo, haberi & extrahi possit. Assumantur Tabulæ Frificæ Lunares & Solares perpetuæ, Nicolai Mullerii Leovvardiensis, ad annos 7980. calculatæ: quibus decursis, (si Mundus tam diu erit) eadem Tabulæ recurunt, atque ita renovantur & perpetuantur. Ad annum nostrum Mundi suprâ datum 3302. addatur radix Periodica, quæ semper est 691. annorum: & conficitur annus Periodi Julianæ 3993. qui est ejus anni Mundi 3302. annus correspondens, in dictâ Periodo; ad quâ Tabulæ illæ ordinatæ & calculatæ sunt. Extrahantur jam Motus cœlestes ad dictum Periodi annum 3993. nostro anno Mundi correspondentem; & quidem ad Mensem Martium anni bissextilis, qualis his annus est.

MEDII MOTVS COELESTES PLENI-
lunii, Mensis Martii, anni Mundi 3302. & Periodi
Iulianæ 3993. Anni Bisextilis.

Periodi Iulianæ	Anni.	Epaclæ.	Latitudo ☽	Motus ☉ in æquinocli.
Annus Period.	3993.	Dies. Hor. /.	Sig. Gr. /.	Sig. Gr. /.
An. proximus minor.	3910.	8. 11. 30.	9. 14. 5.	8. 23. 48.
Rest. uti anni.	83.	16. 14. 41.	4. 27. 57.	11. 13. 29.
Mensis Mart. bisextilis.		0. 22. 31.	2. 1. 20.	1. 28. 12.
Summa Epacliarum.		26. 0. 42.	7. 16. 0.	1. 13. 39.
Numero proximus major. Cano- nis Lune plenæ, à quo summa Epacliarum subtrahenda.		45. 7. 6.	11. 29. 22.	11. 19. 8.
		19. 6. 24.		

Medii ergo motus cœlestes, ex his generalibus & perpetuis Motuum cœlestium tabulis, ad nostrum Annum Mundi, & Periodi Iulianæ, hanc primâ Merodaci Eclipsin edunt & exhibent, die 19. Martii, horâ 6. min. 24. Correspondente die 29. Mensis Aegyptii Thot: quem Diem & Ptolemæus habet, in sui Almagesti lib. 4. cap. 6.

Ad horas & scrupula horaria quod attinet: Sciendum est, hos Motus cœlestes esse tantum motus medios, qui per prostaphæreses Anomaliarum Eccentrici Solis & Lunæ correcti & æquati, exhibent veros motus ad Meridianum tabularum. Post, reducto meridiano tabularum, ad Meridianum Alexandrinum vel Babylonicum, provenit simile tempus in Horis & Scrupulis; quale Ptolemæus & Chaldæi produunt.

Sufficit autem, quòd, ad nostrum annum Mundi, Tabulæ istæ Mensẽ & diem edunt & exhibent. Chronologus si diem habeat; non est quòd de horis sit sollicitus. Hæc Eclipsis, in ordine nostrarum Calyppicarum, incidit, cum suo anno Mundi 3302, in annum 64. sextæ nostræ Calyppicæ, primam Auctoris præcedentis: idque in hac nostrâ verâ Paullianâ Temporum Dispositione.

Jam restat, ut experiamur & tentemus, num ex iisdem Tabulis motuum cœlestium perpetuis, ad annum Mundi Scaligero-Calvisianū 3229. cui illi hanc Eclipsin Lunę Merodacianam ascribūt, hæc Eclipsis haberi & extrahi possit; ut idem Ptolemæi Mensis & dies, videlicet 29. Thot, id est 19. Martii proveniat. Adhibeatur idem processus & methodus, quam suprâ, in extractione motuum ad nostrum annum Mundi adhibuimus. Anno eorum Mundi, adhibeatur Radix periodica, quæ semper est 691. & dabitur annus Periodi Julianæ, qui eorum anno Mundi 3229. in eâ Periodo, correspondet; annus scilicet 3920.

Annus Mūdi 3229.
Radix pe- 691.
riodica. 3920.
Annus Periodi, ei
anno Mūdi cor-
respondens.

MEDII MOTVS COELESTES PLENILUNII Mensis Martii, Anni Mundi Scaligeriani-Calvisiani 3229, per ejus correspondentem annum Periodi Julianæ 3920, extracti.

Est annus communis non bisextilis.

Periodi Julianæ	Anni.	Epacta.	Latitudo ☽	Motus ☉ in æquinoct.	
Annus Period. corresp.	3920.	Dies. Hor. /	Sig. Gr. /	Sig. Gr. /	
An. proximus minor.	3910.	8. 11. 30.	9. 14. 5.	8. 23. 48.	
Anni residui.	10.	19. 17. 41.	5. 22. 28.	11. 10. 7.	
Martius communis.		29. 11. 15.	1. 0. 40.	0. 29. 6.	
Summa Epactarum.		57. 16. 26.	8. 16. 40.	2. 12. 27.	<i>Motus Canonis diei 74. Plenilunio adherentis, Summa motuum.</i>
Numerus proximè major Canonis Lunæ plenæ, à quo summa Epactarum subducenda.		74. 19. 5.	1. 2. 53.	11. 15. 27.	
		17. 3. 24.			

Dies Martij cum horis & scrupul.

Exhibent ergo Motuum cœlestium hæ generales & perpetuæ tabulæ, ad hunc Scaligero-Calvisianum Annū Mundi 3229. Mense Martio, Plenilunium, & quidem Eclipticum, die 17. Martii, hor 3. min. 24. quod est tempus medium, per prosthaphereſes adhuc corrigendum. 17. Martii, eo anno, correspondet in anno Aegypcio dies 9. Thot. Primus enim Thot, fixus erat eo anno, in 29. Martii, anni Juliani. Ita prodit tempus, à tempore Ptolemaico planè diversum.

Sed hîc, pro Scaligero & Calvisio, aliquis ex eorum fautoribus & affeclis, contra nos insurgere posset, & nobis objicere: Quàmvis ad eorum annos Mundi, ex Tabulis istis Prutenicis, Antonii Magini, & Nicolai Mulerii, generalibus & perpetuis, tempora Ptolemaicis congruentia non exhiberi possint: tamen ex Calvisii Tabulis ea ad amuffim & planè eadem, quæ apud Scriptores reperiuntur, extrahi & edi posse.

COMPARATIO MOTVVM COELESTIVM, Temporum & Numerorum, qui ad Annos Mundi utriusq; Temporum Dispositionis, in Eclipsi Luna Merodacianâ primâ, ex Tabulis Prutenicis, Magini, Mulerii, Motuum cœlestium generalibus & perpetuis, extrahuntur, & proveniunt.

Calvisio Scaligeriana Tem-
pora & Motus.

Nova Paulliana Tempo-
rum Dispositionis Tempo-
ra & Motus.

Annus Mundi 3229. est Calyppticæ Septimæ, primâ veram Calyppticam præcedentis, annus 67.

Hic annus Mundi Scaligero-Calvisianus, ex dictis Tabulis generalibus & perpetuis, exhibet & edit Eclipsin Lunę, Tempore medio, Mense martio, die 17. hor. 3. anni Juliani, correspondente, eo anno, in anno Aegypcio, 27. mensis Phamenot die.

Eo anno, primus dies Thot junctus erat 9. Martii, anni Juliani.

Tempus istud ad Ptolemaeos numeros, non correspondet, nec iis congruit.

Hinc oritur quæstio: An Tabulæ motuum cœlestium Sethi Calvisii Lipsensis, cū ejus anno Mundi 3229. cui anno Tabulæ istæ Eclipsin ascribunt, Tabulis Prutenicis, Magini, & Mulerii, generalibus & perpetuis, cum eorum anno Mundi 3302. cui dictæ Tabulæ eam Eclipsin attribuunt, sint præferendæ; an hæ illis? Non credo, quemquam tam impotentis esse animi, & affectibus suis ad eò mancipatum & addictum; ut non Tabulas Motuum cœlestium generales & perpetuas, Prutenicas sc. Magini, & quæ cum iis consentiunt, Nicolai Mulerii, tabulas Frificas Lunares & Solares, (ex quibus priores tot seculis sunt approbatæ) & annos nostros Mūdi Paullianos, à dictis Tabulis cōfirmatos & comprobatos, Tabulis Calvisianis, & annis Mundi Scaligero-Calvisianis, qui Tabulis Prutenicis Magini & Mulerii supra

Annus Mundi 3302. est Calyppticæ Sextæ, primam veram Calyppticam præcedentis, annus 64.

Hic annus novæ temporū Dispositionis Paullianæ, ex dictis Tabulis perpetuis & generalibus, exhibet & edit hanc Eclipsin Lunæ primam Merodacianam, tempore medio, Mense Martio, die 19. hor. 6. min. 24. correspondente, eo anno, 29. die Thot, Mensis Aegypcii.

Eo anno, primus dies Thot, & principium anni Aegypcii, junctum fuit 19. Februarii, anni Juliani.

Tempus Ptolemaicis, numeris planè congruit.

prascriptis nō congruunt, longè præferat. Causa, ob quam Calvisianæ cœlestium Motuum tabulæ particulares, tempora Scriptorum temporibus congruentia, & Motus cœlestes veris non absimiles, exhibeāt, suprā exposita est: id beneficio Periodorum Calyppticarum fieri: quæ cum omnes secundum quid inter sese, & ratione singulorum annorum, sint similes; Calvisium eā similitudine ad suum compendium abusum, talem Periodum Calyppticam sibi elegisse, quæ erroneo suo anno Mundi, cui Eclipsin vel phænomenon aliquod attribuerit, commoda sibi visa fuit; eamque anno suo junxisse; & reliquas Periodos, & tabulas suas, secundum eam Periodum ordinasse & disposuisse; atque ita Mundo illā similitudine illusisse. Posset idem in omnibus aliis & sequentibus Eclipsibus & Phænomenis demonstrari: sed nimium excresceret hujus artificii Calvisiani deductio.

Sufficit, id in hac unicā Eclipsi demonstrasse, & Calvisianas artes detexisse; ex quā de aliis Lector judicium facile ferre poterit.

Spero jam, ex suprascriptis omnibus, satis perspicuum esse, quo artificio Sethus Calvisius Lipsensis, ad errores sui magistri, in prioribus seculis admissos, sub simulato prætextu consensus ejus annorum Mundi cum motibus cœlestibus, tanquam pallio obtegere atque velare annisus sit. Ita artificium, uti existimo, abundè detectum, & Ecclesiæ manifestatum est: quod erat faciendum.

DE VNIVERSA SCALIGERIANA TEMPORUM Dispositione in genere: & de differentiâ & discrepantiâ ejus à nostrâ Paullianâ verâ.

Omnes Chronologi, uno solo excepto, Epocham Christianam civilem anno Nativitatis Christi jungunt, nec illam ab eo separant: quem annum quisque sibi proprium imaginatur, & ab aliis diversum; eum sc. ad quem imaginarius & fictitius suus annus primus Mundi eum ducit. Ita &

Scaliger, in principio, quo suam Temporis Compositionem primò compilavit, Epocham Christianam vulgarem, anno suo Nativitatis Christi, quē is anno suo Mundi 3947. ascripsit, junxit. Nos, in nostrâ Novâ Paullianâ Temporum Dispositione, eundem annum Epochæ Christianæ vulgaris, anno nostro Mundi 4023. assignamus, Scaligeriano-Calvisiano anno Mundi 3947. Epochæ dictæ, 76. annis anteriorem: quod, ex subtractione illius anni à nostro, differentia 76. demonstrat. Hi 76. anni, complent unam Calyppicam Periodum: quâ initium Mundi Scaligeriano-Calvisianum, nostro initio Mundi est posterior; & noster primus annus Mundi, tot annis primum annū Mundi Scaligeriano-Calvisianum præcedit, eoq; est prior. Ita eorum annus Mundi primus, cū nostro anno Mundi, per 77. jungitur, & cum eo concurrit. Ut autem sciri & cognosci possit, in quibus temporum articulis & intervallis, in Scaligerianâ temporum Dispositione, hi defectus horum 76. annorum irrepperint, & admissi fuerint: hîc Lectori Schema comparationis, & nostrorum, & Scaligeriano-Calvisianorum intervallorum, oculis inspiciendum proponimus; cujus ordo infra explicabitur.

SCHEMA

SCHEMA COMPARATIONIS INTERVALLORVM, EPOCHARVM Scaligero-Calvisianarum, & Paullianarum verarum nostrarum: Ut exinde excessus & defectus Scaligero-Calvisiani apparere possint.

EPOCHÆ COMMUNES.

Aⁿ Januario primi anni Mundi conditi, inclusivè,
Ad Januarium, in quo *Diluvium* cœpit, exclusivè,

Aⁿ Januario anni, in quo *Diluvium* cœpit, inclusivè,
Ad Januarium anni, in quo Abraham natus est, exclusivè,

Aⁿ Januario, in quo natus est Abraham, inclusivè,
Ad Januarium anni, primæ ab eo acceptæ promissionis Euangelii, exclusivè,

Aⁿ Januario, primæ ab eo acceptæ promissionis Euangelii, inclusivè,
Ad Januarium anni Exitus ex Aegypto, exclusivè,

Aⁿ Januario anni Exitus ex Aegypto, inclusivè,
Ad Januarium, in quo prima fundamenta Templi Salomonis jacta, exclusivè,

	<i>Intervalla nostra Paulliana vera.</i>	<i>Intervalla Scaligero-Calvisiana cronica.</i>	<i>Defectus Scaligero-Calvisiani.</i>	<i>Excessus Scaligero-Calvisiani.</i>
	1655	1656	1	
	353	292		61
	70	75	5	
	430	idem.		
	479	480	1	

A` Januario anni, in quo prima fundamenta Templi Salomonis jacta, inclusivè, Ad Januarium Excidii Hierosolymitani, exclusivè,	428	427	1
A` Januario Excidii Hierosolymitani, inclusivè, Ad Januariũ Expugnationis Babylonis per Cyrum, & Reditus populi exclusivè,	71	49	22
A` Januario anni expugnatæ Babylonis per Cyrum, & reditum populi, inclusivè, Ad Januarium anni Victoriæ Alexandri Magni Arbelianæ de Dario, exclusivè,	205	210	5
A` Januario anni Victoriæ Arbelianæ Alexandri Magni de Dario, inclusivè, Ad Januariũ anni 1. Epochæ Christianæ vulgaris, exclusivè,	331	327	4
Si annus primus Epochæ <i>Summa annor.</i> Christianæ, qui in utraque Temporum Dispositione exclusus est, utriusque summæ adjiciatur: datur in nostris numeris dicta Epochæ, in anno Mundi 4023. in Scaligero-Calvisianis numeris, 3947.	4022	3946	12 88

DECLARATIO SCHEMATIS.

Epochæ sunt communes utrique temporum Dispositioni. Epochis proxima sunt nostra intervalla: Scaligeriano-Calvisiana iis ascripta sunt versùs sinistram. Illis, versùs eandem sinistram, adhæret columna Excessuum, & plus ultrà Defectuum. Colliguntur Scaligero-Calvisiani Excessus 12. Defectus 88. quod de totidem annis excessivis & defectivis intelligendum. Excessibus, quia pauciores numero, à Defectibus subductis; remanent anni defectivi 76. id est, una Calypica: quot etiam habet differentia suprâ data, quâ distat utraque Dispositio, una ab alterâ; & quot annis noster primus

primus annus Mundi Scaligeriano-Calvisianum primum annum Mundi præcedit. Jam Excessibus à numeris cujusque intervalli Scaligero-Calvisiani, cui adhærent, resectis; & defectibus iis intervallis, quibus adhærent, adjectis: Scaligeriano-Calvisiana temporum Dispositio, ad formâ nostræ temporum Dispositionis redigitur; & ejus numeri nostris numeris correspondentes & similes erunt.

Excessus & defectus singulos hîc speciatim demonstrare & explicare, non est hujus loci. id alibi à nobis factum; nempe sequenti libro 2. hujus Consilii, ubi de Scopulis Chronologicis actum; & nostræ Temporum Restitutionis Tractatu, Libro 8. Quò Lectorem remittimus.

Tandem Josephus Scaliger, animadvertens & præsentens, suum annum Mundi 3947. ob quasdam Circumstantias, in historiâ Romanâ observatas, Epochæ Christianæ vulgari nō quadrare; reservatâ illi anno Christi Nativitate, Epocham Christianam vulgarem, ad tertium usq; annum, in posteriora promovit: & Cōsolatui Caji Cæsaris, nepotis ex Agrippâ & Juliâ filiâ, & L. Aemilii Pauli, (qui ejus Epochæ quidem verus annus est) rectè ascripsit: tamen, ob errorem in prioribus seculis admissum. eum Mundi annum 3950. facit; errores ita erroribus cumulando. Qui hac de re dubitat; is Chronologiâ Sethi Calvisii, quæ ad Hypotheses Scaligerianas concinnata est, & momenta Scaligeriana ad amissim repræsentat, assumat, & eam evolvat. ad aperturam libri, in ejus anno 3947. Mundi deprehendet, duobus sequentibus annis, anno sc. ejus Mundi 3948. & 3949. notam Nullitatis, 0, 0, hoc modo esse ascriptam: quâ denotatur, eos annos Scaligerum & Calvisium, neq; annis ante Christi nativitatem, neq; post Epocham Christianam, annumerâsse, nec iis annumerare potuisse. Quid, quæso, hæc Scaligeri & Calvisii hallucinatio aliud est; quàm quòd liberè, & non coacti fateantur, suam temporis Dispositionem perturbatam, incertam, & imperfectam esse: cùm in eâ annos pati & tolerare cogatur, qui nullis numeris possunt includi.

Hæc est illa temporum Dispositio, quæ jam integro se-
rè seculo, pro lege & temporum normâ habita & existima-
ta fuit; ex quâ anni Mundi, omnibus Diariis & Calenda-
riis hætenus præfixi, desumpti fuerunt, & adhuc desumun-
tur. O cæcitatem Mathematicorum! O ignorantiam Po-
puli!

Josephus Scaliger, in diversarum gentium, nationum, &
populorum, Temporum resolutione felicissimus; sed in
compositione infelicissimus. Interim non negamus, eum
esse virum in omni literarum genere & scientiâ exercitatis-
simum, & excellentissimum; quin etiam auctorem nostræ
Temporum Cynosuræ, Periodi scilicet Julianæ, omni
honore & laude dignissimum. At verò,
Non omnia possumus omnes.

